




1
6
82









PAGANI PAGANINII LICIANENSIS

DIVERSI GENERIS SCRIPTA.







FLORENTIAE
Apud GEORGIVM Marescotum.
MDLXV.

ILLVSTRISSIMO FRANCISCO MEDICIO MAXIMO FLORENTINORVM PRINCIPI.



Paganus Paganinius Licianensis. S. P. D.



AMPRIDEM est, cum in animo habeo; non pauca mea, et iuncta et soluta oratione conscripta; quæ non possum diutius debere et literarum: & probitatis quibusdam amantissimis, omninò proferre, tuoq; clarissimo nomini: penè dixi numini dedicare; quemadmodum tu ipse testis es optimus, qui cum superiori anno hac de re non semel verba feci. Sed cum id non paterentur, aut certè tanquã obices quidam, hæ causæ; quas nihil est necesse tibi cognitas vt exponam; ne fieret in præsenti, retardarent;

rem totam eò differebam, donec illud mihi & commodius: & melius aliquandò liceret posse conficere, vt omnium maximè optabam. Verùm cum PISIS nuperrimè FLORENTIAM venissem, vt tecum iterum colloquerer; ad quem rem: & causam meam optimus: & maximus tuus pater reiecit; fortè librariam tabernam BARTHOLOMAEI SERMARTELLI sum ingressus. atque ibi incidi; cum sumpsissem in manus quædam opuscula, in partem eorum versuum typis calcographis impressam; quos proximo vere feci in morte MICHAELIs ANGELI BONAROTI. ægerrimè sanè tuli id venisse in mentem alicui vt faceret, hac re quæ ad me præcipuè attinebat, nihil omninò mecum aut coràm: aut literis communicata. Quare cum mihi non esse integrum iudicarem, quæ mea vellem: & quo tempore in lucem edendi; nec deessent quamplurimi, qui auerent omnes eos versus: quos antea hac de materia: & argumento conscripseram, in vnum quasi corpus redactos habere: curaui eos hoc modo imprimi; & foras ab hominibus qui vellent, legendos exire; & hoc pacto experiri, quid dicerent: & iudicarent nonnulli huiuscemodi de meis scriptis. Addidi autem & quædam alia, quæ spero: opto certè non penitus improbatum iri, si nulla alia causa; rerum saltem non iniucunda, quantum arbitror; varietate, qua vna præcipuè animi Mortalium maximè delectantur. quæ omnia domi vestræ, hoc est, vestris in vrbibus: & superiori vestra Academia PISANA superioribus annis nata: vt quã plurima alia, postquam fui receptus in vestram fidem: & clientelam, nunc tibi iure optimo nuncupo, tradoq; si opus

fuerit; & volueris, defendenda vel ob id ipsum, quòd ea vestra: æquè ac mea: aut potius, quòd ea vestra magis: quàm mea esse existimo, cum ea scripserim in ocio quod vos mihi antea fecistis; in quo nihil mihi fuit antiquius, quàm, vt potui; vestra præclara facta literarum monumentis, & immortalitati cõsecrare. Si verò est quispiam, qui cogitet, hæc; epistolas imprimis, esse à me hoc tempore, aut sanè non multò ante conscripta; næ ille quisquis est, ita decipitur: vt qui maximè. quod si vnquam à certa persona mihi fuerit obiectum; id defendam: & vincam plurimis: & grauissimis testibus; te imprimis, & felicissimo tuo patre; aliisq; quos hic nomino; quibus iampridem hæc omnia ipse dedi; aut misi. Non abuterer, falsò præsertim talium virorum omnium adhuc viuentium testimonio; & autoritate: Quod si fortè dices sequentem meam ad te epistolam nec editam, nec à te acceptam, id non negabo. sed affirmabo, & sanctè iurabo, si iusseris; iam illo tempore illam conscriptam; quod in eadem est adscriptum. quòd comprobabo voce, si opus erit; non paucorum Iuuenum; imprimis COSMI GRACINII, eo tempore Rectoris (vt appellant) vestræ Academiæ PISANAE quam superius nominaui; quibus iam tum illam memini me legisse. sed quid immoror in huiuscemodi rebus? Hæc tu pro tempore pro ea, qua abundas humanitate; non contemnes; & expectabis plura tui à me cupidissimo; si tuo vnquam auspicio: & auxilio potero proferre illud non paruum volumen, quod cum tibi: tum tuo præclarissimo patri interequitandum ostendi; iamdiu (vt audio) optatum: ac expectatum, & magis fortassis optandum: ac expectan-


dum in posterum ab illis, qui hæc non improbabunt; si tamen aliqui erunt, qui id sint facturi; atq; etiam hoc nomine, quod nunc hac in prima editione quibusdam de rebus facio mentionem; quas apud me certo consilio volui esse in præsenti. Vale. FLORENTIA NON. DECEMBRIS. *MDLXIIII.*



ILLVSTRISSIMO FRANCISCO MEDICIO MAXIMO FLOREN-TINORVM PRINCIPI.



Paganus Paganinius Licianensis. S. P. D.



ROXIMO Sextili mense cum essem vestra in Academia PISANA, in qua ex liberalitate tui Patris viri amplissimi iam quinquennium est cum honestissimè habito; existimans id tibi fore gratum, dedi ad te vnas meas literas latinè conscriptas; cum quibusdam versibus,' qui à me tunc fuerant facti. quæ omnia si vestri scribæ, quibus ea dedi, coniecère in fasciculos literarum; quæ hinc isthuc ad te mittuntur, mihi persuadeo; opto certè fuisse ad te perlata. Eram in præsenti idem facturus; id est, ad te scripturus; & missurus quosdam Elegos: & Heroicos versus; quos in repentinis duorum tuorum Fratrum: & Matris funeribus composui: quosq; his superioribus diebus dedi & Patri tuo, & vnà cum quibusdam aliis Elegis CLARISSIMO PAVLO IORDANI DIVINAE ISABELLAE tuæ sororis viro. atque dum paro vt elegantiori cuiuspiam manu ii describantur; audio eorum exemplum esse ptolatum; & iam in plurimorum manus peruenisse. sum igitur subueritus, ne; vt quorundam est arrogantia; aut auaritia: aut vtrumque, illos aliquis Typis calcographis curaret me inuito: aut certè inscio excudendos; cum alia Latina: & Tusca his de grauissimis casibus conscripta sic impressa passim legantur. Id igitur ego præoccupaui; & non pau

cis commutatis & additis refrigerato amore inuentionis cura ui, Idque contra meam consuetudinem; qui nihil adhuc edidi meorum scriptorum; ea carmina imprimenda; & præponenda quæ de HENRICO Valesio Gallorum Rege; & de HERCVLE Atestio Ferrariensium Duce eo tempore quo mortui sunt, conscripsi; vt id quod sciunt Mortales memoria repeterent; illud est; huiuscemodi procellam reliquos etiam magnos Reges: & Duces percellere. Et quorum altera iam tum misi in Galliam ad MAXIMAM CATERINAM Reginam tuam gentilem. altera verò ego ipse dedi PRAECLARAE LVCRETIAE Atestiæ cum essem tum FERRARIAE; cum tractarem quædam negotia non omninò nullius momenti cũ illis magnis Principibus, quéadmodũ tu meminisse potes; qui me illo tempore vltrò verbis plenis amoris: & offitii coràm commendasti ALPHONSO Atestio LVCRETIAE tuæ Sororis, quæ tum viuebat, marito. Et ne fortè aliquis existimet me mihi falsa effingere, volui adscribere duas epistolas; quarum alteram dedi, vt dixi; LVCRETIAE Atestiæ, alteram verò cum quibusdam Endecasyllabis LVDOVICO eius Fratri, qui postea fuit declaratus cardinalis. Ineptè autem ille faceret, qui in omnibus huiuscemodi rebus requiret continentem temporum seriem, cum ipse posit videre causam cur sit in præsenti interrupta, aliâs fortasse seruãda cum plura edam. Quæ omnia nunc ad temitto mihi planè persuadés, hæc quoque tibi non futura ingrata; & si nonnulla illorum quæ ad te antea diuersis temporibus aut misi: aut dedi, fuerunr fortasis; sed fuerunt certè, multò iucundiora. Ne autem in Elegia facta à me in morte LVCRETIAE tuæ sororis; quam tu solus eo tempore habuisti; & nemo alius postea; quamque his meis scriptis libuit addere, suspensum haberem lectorem illis duobus versibus.

Cum cecini quod erant ARNI *suspiria venti;*
Illiusq; illæ quod pluuiæ: lacrimæ;

Vtque facilius cætera omnia quæ sunt in eadem Elegia intelli gerentur


gerentur; adiunxi reliquos ea de re conſcriptos verſus; quos memini tunc quoque cum eſſemus FERRARIAE, cum nonnullis aliis meis carminibus tibi à me fuiſſe dedicatos. ſed cum præterieris epiſtolam ſequentem, nõ paucis tamen interiectis, quam ſcribo ad tuum Patrem; iam te para ad hæc carmina legenda ea animi magnitudine, & fortitudine, qua hos triſteis nuntios accepiſti; quæque eſt tibi mira à natura attributa; & quam optima educatio: & diſciplina Paterna in te egregiè cõfirmauit; & ſummopere addauxit; quã tamen tẽtatam; & forſan aliqua in parte offenſam; quem enim hæc tanta mala non aliquantum perturbent? & commoueant? vt reficerem, conſultò ſubiunxi quoſdam Elegos non de huiuſcemodi triſtibus rebus à me factos; ſed de lætioribus; tuoque Patri: & tibi antea fermè omneis oblatos; vt poſt guſtatam quandam quaſi amaritudinem; hæc te quaſi dulcedo quædam continuò, quod dixi ſuperius, recrearet. Tu ſerui valetudini, in qua ſunt omnia tibi poſita; Iamque ad nos in Italiam cogita. tuus enim aduentus quoquo tempore antea nobis omnibus erat futurus iucundiſſimus; nunc verò erit iucundior, quo magis neceſſarius eſſe videtur, vt & tuos conſanguineos; & tuos populos conſoleris; idque præſens. Interea vt rumore nuntio ad nos perfertur; ſcribuntque omnes qui tecum iſthuc nauigarũt, à te maximè omnium fieri, apud iſtum Maximum: & optimũ Regum Regem ſuſtine: aut potius vince optimam opinionem; quam de te adhuc puero omnes imbiberunt; & quam deinde cum dicendo, tum faciendo te omnia digna; ideſt, præclara; & egregia. continenter meliorem concitaſti. Ex veſtra Academia Piſana Nonis Ianuariis.

MDLXIII.



COSMO MEDICIO MAXIMO FLORENTINORVM: ET SENENSIVM DVCI.

Paganus Paganinius Licianensis.
S. P. D.



OSTEAQVAM me optime, & maxime PRINCEPS in tuã fidem : & clientelam recepisti ; nihil sanè quod fuerit insigne; quodque ego sciuerim tuis in rebus aut pacis: aut belli tempore lætum: aut alio nomine appellandum tibi accidit;de quo aut oratorio:aut poëtico stilo non aliquid scripserim.quod ita esse tute ipse scis ; quippè qui optimè potes meminisse multa à me variis temporibus istis de tuis rebus scripta,tibi fuisse à me eodem oblata.quæ semper & humanissimè accepisti , & dedisti non obscura signa tibi non omninò fuisse ingrata ; cum ipse nõ semel mihi affirmasti , quæ tua est mira humanitas,te omnia illa semper legisse ; & semper amauisse hanc animi mei in te peramicam, vt es solitus nominare,propensionem ; cum igitur in præsenti permaneam in hoc meo instituto;inque immatu-

ro:& recenti duorum tuorum Filiorum: & Vxoris obitu, quæ omnia euenére paruo admodum interiecto tempore, fecerim quosdam Elegos: & Heroicos versus, eos his Natalibus descripsi; quos tibi nunc offero; quosque opto esse sempiternos testes & meæ in te obseruantiæ: & maximi doloris, quem ex tantorum Adolescentum iactura, & tam lectæ feminæ: aut potius quasi Deæ cuiusdam ceperim. volo enim existimes cum à vobis eorum consanguineis discessero; me nulli concedere qui ex huiuscemodi rebus maiorem senserit molestiam: & dolorem. quod & si nihil ad te tanta felicitate: & amplitudine virum attinet, tamen ita esse tibi velim persuadeas; quod quidem te tibi persuadere puto. qui iampridem noueris, quam continenter antea fuerim tui præclari nominis: & tuæ summæ existimationis cupidissimus; vt sum etiamnum. & semper ero; qui te mihi perpetuò dum viuam ob præclaras tuas virtutes proposuerim amandum; aut potius quasi quoddam numen venerandum, & colendum. Nihil verò sum veritus his meis versibus tibi mœrorem renouare, cum his grauissimis plagis acceptis nemo sit, qui te viderit animo esse commutato: aut certè vultu, qui illius est index optimus; vt planè omnibus fidem feceris. & tua quoque ab aduersa, vt videtur Fortuna, posse contingi: & pertentari; te verò totum ex te pendere; & magno: & forti animo ea

perferre, quæ cum sit nefas corrigere, nisi sapientia: & ista tua in omnibus rebus perpetua constantia, nullo alio modo possumus nobis reddere leuiora. quod non omnium est virorum: aut Principum, aut certè est perpaucorum; aut potius tui vnius omnium mortalium nostri temporis sapientissimi. Sed iam vale: & vince fortiter: & prudenter ista tristia, vt quidem facis, in quibus non debemus Fortunam communem recusare; aut præcipuam aliquam postulare; vt quidem illam non recusas, nec hanc postulas. Iterum vale.

Ex tua Academia Pisana iiii.
Calend. Ianuarias.
1563.



AD ILLVSTRISSIMVM PAVLVM IORDANEM VRSINIVM.



Tempore quæ tristi do tristia carmina summè
Iampridem addictus Maxime PAVLE *tibi;*
Sint licet ingentis luctus solatia parua,
Incendant vel quem talia scripta magis,
Pro virtute tua tamen hæc ne despice; ne ue
Esse nouem AONIDVM *vilia dona puta.*
Sic pueris, quibus hæc tempestas dira pepercit;
Quæ Lydi immersit lumina trina soli,
Sic Iuuene egregio, quem HISPANIA *suspicit omnis;*
Et tanto quem Rex tantus honore fouet,
Exoptatáq; sibi quem summè HETRVRIA *reddi;*
Spem tanti generis: subsidiumq; domus,
Ipse tuis rebus florens, sic coniuge casta;
Diuino socero sicq; fruare diu.
His quorum Nati regnent regionibus, olim
Dum citimo errabit menstrua Luna Polo.
Si verò tecum coniux pulcherrima, nostra
Hæc leget, ostendens grata fuisse sibi;
Horum me lætum: fortunatumq; laborum
Dicam; & res magnas vos retulisse mihi.
Magni etenim facio: & defendo mordicus esse
Clarum, Principibus nostra placere viris.

ILLVSTRISSIMO LVDOVICO ATESTIO.

Paganus Paganinius Licianensis.
S. P. D.



VM IIII Nonas Septembres venissem FERRARIAM varias ob causas, sed præcipuè ob illam, vt negotium quoddam ad finem perducerem; quod non omninò nullius ponderis tractabam cum clarissimo tuo Patre; & cuius causa quater huc superiori anno veneram ab illo accitus. contigit, vt; cum paro discessum, quem eodem tuo Patre volente distuleram; cum aliquot ante diebus penè illa expediuissem, quorum causa potissimum huc accesseram, ille in morbum admodum leuem inciderit, vt tunc rumor est disseminatus; sed quo tamen postea præter omnium opinionem est interemptus. Hic obitum tui Patris non deplorabo; sed tamen illud non possum non dicere; & quidem verè, neminem esse secundum vos eius consanguineos, qui illius interitu æquè ac ego fuerit perturbatus. causas omitto; ne illarum commemoratione fortasse videar tibi ineptus; mihiq; acerbissimum renouem luctum; quem cepi ex morte illius optimi: & Maximi Principis; meq; sūmopere amantis. quod tamen antea feci; & faciam postea alio tempore, si respirabo ab iis, quæ me nunc angunt curis; & maius omninò dabitur otium scribendi; quod quidem non desiderarem in præsenti, si ille diuinus sanè vir viueret. Sed hæc omitto. cum igitur in eius funere fecissem quosdam versus impares; & quidem medio in dolore, quorum, exemplum cum epistola iam tum dedi Illustrissimæ LVCRETIÆ Sorori tuæ; & cum etiamnum nescio quo meo fato hîc cōmorer; libuit eos describere: & tibi offerre; vt cognoscas hoc nomine quantum illum vel mortuum venerer; qui uiuus mihi fuit quasi DEVS aliquis. Teq; quantum obseruem: & colam. quem cum intueor, mirificè recreor profectò. nam mihi tunc videor videre illius per beati viri ueram animi: & corporis imaginem; quo nihil oculis: atq; adeò animo meo gratius potest offerri. Eos igitur isto tuo læto vultu accipies: & animo gaudenti. & à me breui lætiora: & longiora expectabis; quæ nunc ego his meis temporibus difficillimis, vt possum; perpolio; & quæ absoluta fortasse tibi nuncupabo; si hæc non fuisse ingrata cognouero: quæ tibi futura

gratißima pro tua singulari humanitate mihi planè persuadeo. Sed cum has ad te meas literas describerem mihi uenit in mentem, me: antequã Pater tuus è vita discederet, de morte HENRICI VALESII Maximi Gallorum Regis: & Sobrini tui fecisse quadam epigrãmata; quare iudicaui me fortasse non ineptè facturum; si illa describerem: & ad te mitterem. Addidi quoq; quosdam Endecasyllabos: quos heri de te feci. Et Epitaphium de CAROLO QVINTO CAESARAE Augusto: quod ea quæ de Gallorum Rege composui, consequentur. Vltimo verò loco apponentur, quæ de Patre tuo à me sunt scripta; quæ sola quidem certè cum initiò sumpsi in manum calamum, constitueram ad te velle mittere. Sed tandem vale candidissime: ac felicißime. Adolescens. FERRARIAE Idibus Aprilibus. M D L X.

AD EUNDEM.

Tandem GALLIA reddidit cupitum
Te tuis Iuuenis beate. tandem
Expectatus ades. Parens: Sorores:
Dux Frater: Patruiq;: cæteriq;
Omnes qui generis tui vetusti;
Et totus populus: Patresq; saluum
Te tibi rediisse gratulantur
Ad summum; sibi & vsque: & vsque gaudent.
Nam gratum omnibus: omnibusq; charum
Te virtus tua, liberalitasq;
Una præcipuè; suauitasq;
Naturæ facit. optimiq; mores.
Hinc me nomine commouente tali,
Te multum colo; meq; spontè totum
Addixi tibi; & vsq; dedicaui;
Hoc licet nihil: aut parum videtur
Ad te maxime pertinere Princeps.

Et ni fortè vocas me ineptiorem,
Qui nunc talia te velim docere,
Meis Endecasyllabis ineptis;
Hæc ne despice, quæ mea admonere
Hæc obseruantia; amorq; cogit in te.
Hanc insiste viam, facis quod vnum;
Veri honoris; & illa persequendo,
Liberaliter educatus olim
Quæ tu vsq; à puero imbibisti honesta;
Et te digna quidem: Parente dignum:
Cuius ora refers: refersq; mentem,
Dignum sanguine Patris: atq; Matris
Te præsta; solida illa laus, & illa
Vera est. nam patre nos oriri ab illo,
Pulchro corpore qui sit; atq; cuius
Virtus plurima sit probata paßim;
Quali dicere te potes creatum;
Et claro genere, vnde natus es tu,
Totum quicquid id est, videtur esse
Fortunæ. vnde parum redundat ad nos
Veri nominis, atq; sempiterni.
Nos autem facere illa; quæ videmus
In te Laudibus efferenda magnis
Iam nunc; quæq; futura nos tenemus
Suo tempore clariora multò;
Hoc virtutis opus, celebre dantis
Nobis nomen: & inferentis alta
Nos ad astra poli; DEVMQVE sedes.

Hos cum frigida mors resoluit artus.
Quod pluris faciendum: & æstimandum,
Quàm tali genitum esse Patre; & [alto
Se se sanguine gloriari vtroq;
Sit quicquam licet hoc; & expetendum.

AD INVICTISSIMVM PHILIPpum Hispaniarum Regem tumulus CAROLI V. Cæs.. Aug. eius patris.

CAROLVS *vt Quintus Cæsar successit olympo,*
Est his quæ sedes pulchra parata viris;
Ac tantum lethum rumor vulgauit in orbe,
Imperium fleuit; Relligioq; simul
Atq; hæc, atquè illud dixerunt. triste paratum
Seruitium est nobis; perpetuúmque iugum.
Hoc etenim Heröe in cælestia tecta relato,
Est qui habitus belli gloria: pacis honos;
Spumeus vt fluuius per agros, perque æquora lata
Disruptis muris: aggeribúsque furit.
Sic Turca Europæ, quæ vires perdita vertit
In sua iampridem viscera; & exitium;
Insultat; vectans gentes terráque: marique,
Quàm folia autumni frigore multa cadunt.
Sed DEVS *in melius conuertit talia. Iamque*
Conspirant Reges: Pontificésque Pii.
Iam, quod versabat Cæsar sub corde; trophæa
Illi hoste è diro victo Oriente ferunt.

Quam tibi præcipuè laudem Rex magne PHILIPPE
DII nostri seruant, ac PIE *Quarte tibi.*
Sic, cecidit penitus quæ quondam; nostra resurgit
Omnis Maiestas; noster & omnis honos.
Ex illo afflictis melius confidere rebus
Visum est Imperium; visáque Relligio.

Ad eundem.

De IOVE, PLVTONE; CAROLO: & DOREA.

Iuppiter alta regit, Pluton tenet infera; Cæsar
Per terras regnat; Dorea curat aquas.

Ad Maximam CATERINAM Mediciam Reginam in funere HENRICI Valesii potentissimi Gallorum Regis eius mariti.

Coniugis extincti casu qui maximus armis,
Quique habitus nostro est tempore pacis honos;
Ah te ne turba tantum Regina; dolorem
Ne laxa; & quæ sis nunc meminisse velis.
Fatorum id prohibent concordes Numine Parcæ;
Quæ te hoc signarunt nominum honore trium.
Quod Nurus: & Coniux Gallorum Maxima Regum;
Et Mater fixo tempore viua fores.
Illa dies venit. nunc Fatis cede. tulisti
Et qua læta olim, tristia mente feras.

Sic Nurus: & Coniux Gallorum digna vocari
Regum, & præsenti tempore Mater eris.
Quod virtutis opus rarum; quod clarius; & quod,
Aspiras quò tu, te super astra leuet.
Nanque sibi possunt virtutem fingere: contra
Non homines possunt fingere fata sibi.

In eodem.

DVM fictum celebrat bellum, dum cursibus; & dum
Hastis, qui mos est, GALLIA ludit ouans;
Spectatumque illuc variis de partibus orbis.
Non hominum numerus conuenit exiguus;
Rex ipse ob pacem: & nuper connubia iuncta,
Ad pugnam vnum equitem prouocat vnus eques.
Dum pugnant, medio in campo Rex sternitur; illi
Et fracta ad summum verberat hasta caput.
Atque breui è vita decedit; vulnus adactum
Nullius medicæ sensit vt artis opem.
I nunc: & Reges subiectos casibus, atque
Hos etiam circùm stare pericla nega.
Nam quem tempestas belli non obruit; illum
Tranquillæ pacis tempora surripiunt.
Ò nos: ò miseros Mortales. sæpè quod vnum
Optamus, nobis exitio esse solet.

In eodem.

HAS lacrimasque: comasque libens ò Maxime coniux
Accipe, quas lacrimas fundo, metóque comas.

Hæ lacrimæque: comæque mei sint pignus amoris
In te perpetui; & perpetuæ fidei.
O si iussa DEI *permittant rumpere vitam;*
Ad lætos sequerer te comes Elysios.
Id quando nequeo, fuero dum inuita superstes;
Te desiderio prosequar, & lacrimis.
Sic Regina dolens ingentibus ora rigabat
Fletibus; auelli nec poterat feretro.
Et vos Reginæ vester dolor angit. & iidem
Qui nostra, affectus; pectora vestra mouent.

In eodem.

Cum Rex HENRICVS *iungit cum Rege* PHILIPPO
Fœdera; tunc Diuis victima nulla cadit.
Hoc facto commota DEVM *sunt corda; tulitque*
Id reliquis Mauors ægrius armipotens.
Qui sæuis semper lætatur cædibus; & qui
Humano generi plurima damna facit.
Et dixit versans iras sub pectore, pœnas
Tu ve HENRICE *mihi, Tu ue* PHILIPPE *dabis.*
Sicque petens terras arrepto tempore, belli
De more HENRICVS *dum simulacra ciet;*
Ora equitis: vocem: & vestes mentitus; & arma;
Per ludum in Regem quique mouebat equum;
In Regem fertur præceps; hastáque trabali
In capite affixa Rex cadit exanimis.
Hostia qui fuerit cæsus, vel victima; cæsa est
Hostia magna nimis; victima magna nimis.

Non etenim decuit pro pace, & fœdere facto;
Egregiam hunc tantum ponere Regem animam.
Anne animis etiam tantæ cœlestibus iræ?
An vitæ: & mortis stat sua cuique dies?

Eiusdem tumulus.

HENRICI *hic fluidum corpus, qui sceptra gerebat*
Gallica. quo extincto GALLIA *tota dolet.*
Sancta anima vnde prius descendit, ad astra volauit;
Diffundit laudes fama per ora virûm.
Sic vinci possunt crudelia Fata; sepultis
Sic vitam virtus reddere sola potest.

Alius eiusdem.

D. O. M.

HENRICO Valesio Gallorum Regi, qui tot; & tam claris virtutibus, quæ Regem belli: & pacis tempore maximè decent, fuit ornatus; vt maiestas Gallorum Regum per se augustissima, hoc Rege sit facta multò augustior. Regina coniux, & Filii Regii mœstissimi. M. H. PP.

LVCRETIAE ATESTIAE HEROINAE PRAECLARAE.

Paganus Paganinus Licianensis. S. P. D.



QVARTVM hoc anno proximis Calendis Septembribus FERRARIAM veni; vbi postea sum cõmoratus continenter ob quædam negotia, quæ tractabam cum maximo: & Optimo tuo Patre. cuius obitum, qui mihi accidit, vt quamplurimis; immò; vt reliquis omnibus, qui eum cognoscebant, præter omnium opinionem: & contra voluntatem, ita mecum fleo: & lugeo, vt secundum vos eius consanguineos, nemini concedam, qui me magis doleat: & perturbetur; qui hoc nomine, vt par est à me fieri, profectò maximè doleã; & vehementer perturber. cum igitur, vt potui; in medio dolore in illius funere superioribus diebus dum plueret, fecissem quosdam Elegos, volui illos ad te mittere; quæ, vt audio, optimè scis latinè. Si autem hoc meo facto videbor tibi vel impudens, vel ineptus, vel magis vterque, qui ausus fuerim hoc qualecunque munus voluisse proferri; & tibi offerri, huic meæ vel impudentiæ vel ineptiis; vel magis vtrique rei ignoscas velim. nam malui vtriusuis, vel potius vtriusque rei crimine condemnari; quam illud ad te non dare; quam ob diuinas propemodum virtutes tuas summopere amo; & mecum obseruo: cum etiam hoc nomine id faciam, quia ex amplissimo illo viro es nata, quem veluti DEVM quendam; aut certè, quem maximè omnium mortalium venerabar; & qui; quæ erat illius mira suauitas morum, videbatur non vulgari amore me amare. cuius quidem sui in me amoris, iam non adumbrata, sed maximè expressa dederat signa; multò expressiora vltrò creberrimè pollicitus se daturum; quod etiam, non multis ante diebus, cum in hunc lethalem morbum incidit, mihi renouauit;

ſi paulò diutius vixiſſet; atque res cuius cauſa potiſsimum huc veneram toties, ad finem fuiſſet perducta ; ad quem propè erat perducta. Hæc ſi intellexero te non fuiſſe aspernatam, vt quidem te iſta naturæ; & morum lenitate non aſpernaturam mihi planè perſuadeo, hac de re fortaſſe à me plura: & meliora in poſterum accipies. Illa enim huiuſmodi mecum iam nunc verſo; confecturus, cum mihi erit maius otium, & ero animo tranquilliori. Interea ſcias me totius gentis ATESTIAE clariſsimæ cupidiſsimum eſſe, proque ea poſſe mori. cuius rei & CYNTHIVS GIRALDVS: & FRANCISCVS BELLENCINVS: & IOANNES BAPTISTA Pigna ſi adeſſet, poſſent tibi facere fidem . vale, & patientia leuiorem fac iſtum tuum dolorem, te pro tua ſapientia : & ſingulari pietate, cum Illuſtriſsima, & verè Regia, tua Matre ad DEI Immortalis voluntatem accomodando. Iterum vale. Ferrariæ vi. Id: Nouembres. M D L I X.

Ad eandem in funere ILLVSTRISSIMI HERCVLIS Ateſtii IIII Ferrarienſium DVCIS.

Iurè doles pulchra extincto LVCRETIA Patre;
Iurè tuum pectus cura perurit atrox.
Magnus erat Pater; & tantum te filiam amabat;
Quantum vllus potis eſt filiam amare pater.
Sed qui tantarum rerum iam ſumet habenas
Optimus hæc frater cuncta leuare poteſt.
Iam venit, ad patrias ſedes iam currit; equiſque
Mutatis alpes iam ſuperare parat.
Cum veniet, rerum aſpectus mutabitur omnis;
Gaudia iam videor quanta videre mihi?

Cum miſcere minus cum lætis triſtia poſſent,
Sanxêre hanc legem Numina magna DEVM,
Gaudia triſtitiam vt ſemper ſectentur; itémque
Semper ſectetur gaudia mœſtities.

In eodem.

Nunc quoq; Dux moritur tuus ò FERRARIA, *geſtis:*
Nominéque Illuſtrem qui referebat Auum.
Lethalem Ducibus : Reginis : Regibus annum.
Quo pariter magni Pontifices pereunt.
Hæc ne nouo eueniunt Diuorum Numine ? rerum
An fato æterno firma catena manet?

In eodem.

HERCVLIS *ob mortem nunc diri cornua tollunt*
Antæi quidam : Geryonésque mali.
Inclytus ALPHONSVS *ſed franget cornua vobis,*
Digna quidem Matris : digna propago Patris.
Sic aquilas aquilæ conſuetæ gignere fortes,
Atque ſui ſimiles ſic generare Leo.

In eodem.

Quid fles Eridane ? Heros heu meus occidit ; ille
Hadriaci omne decus : præſidiúmque ſoli.
Cur ſic areſcis iampridem ? pectore quod tunc
Nati verſabam Fata propinqua mei.

Nunc

Nunc quoque deficiunt te lymphæ? talis adempti
Sum desiderio: sumque dolore viri.
Audio quos alios gemitus? FERRARIA *lugent*
Hæc tua qui Genii plana beata tenent.
*H*ERCVLIS *anne etiam deplorant flumina mortem?*
Est ne etiam extinctus cura: dolôrque DEVM?

In eodem.

Quæ tabulata vides cum lecto, cumque columnis;
Omnia quæ diues serica tela tegit;
HERCVLIS *ostentant corpus Ferraria; iustas*
Qui nuper leges, qui tibi iura dabat.
Quique sedent Patres funestis vestibus, & quæ
Circum stant Matres plenæ oculos lacrimis;
Et quæ collucent circùm funalia; quodque
Antiquum sceptrum pendet, & vsque nitet;
Atque ensis fulua stellatus iaspide; cuncta
Denique quæ cernis; quæque videre potes;
Sunt Ducis in laudem posita, ac illius honorem,
Qui vestrum requies, paxque: salúsque fuit.
Vos grati ciues illum laudate: supremis
His Patriæ donis uos decorate patrem.
Hoc omnes facitis, nam vestras audio voces
Tollentes vestrum celsa sub astra Ducem.
Sed vestri Herôis pallentia credite tantùm
Hoc in sublimi membra iacere thoro.
Namque anima ascendens cœli conuexa, recepta
Nunc quanto plausu: lætitiáque fuit?

D

Ò vim virtutis magnam. sibi ponit honores
Inter & illa Homines, inter & illa DEOS.

In eodem.

Hic sceptrum, hic ensis: sunt hic calcaria; nec non
Talibus apponi cætera sueta viris.
Sed non appositum est vnà quod debuit vnum.
Hic vir præcipuè quo decorandus erat.
Ductorum ornantur viridanti tempora lauro.
Vatibus ex hedera facta corona datur.
Si fuit hic ductor, si vates maximus; illi
Ex hedera: & lauro danda corona fuit.

In eodem.

Hic ensis donum est Martis. sed laurea Phœbi.
À Baccho hæc hedera texta corona datur.
Hic vir quantus erat cui nunc vel luce carenti
Mars: Bacchus: Phœbus munera tanta ferunt?
Hoc magnum nomen. sed maius, quod sibi gestis;
Quod benè compositis carminibus peperit.

In eodem.

Hic hedera, hic ferrum: hic laurus: tria Numina nostro
Extincto tria quæ dona tulère Duci.
Bacche hederam, Ferrum Mauors, tu Phœbe tulisti
Laurum; quæ tali munera digna viro.

Hic vates hederæ; dux bello magnus, & armis,
Et ferri: & lauri dignus honore fuit.
Quis veterum Heroum, quos virtus intulit astris;
Hoc ornamentum tergeminum meruit?
Flete igitur Bacchum: et Martem: Phœbúmque sequentes,
Improba mors vestrum præsidium omne tulit.

In eodem.

Effulgebat heri toto sol aureus orbe.
Cœlum hodie nimbi, & nubila densa tenent.
Tunc voluit Phœbus populo seruire; Patronum
Ut possent Patres: plebsque videre suum.
Nunc verò ille suo largè confundit alumno
Hos nimbos, lacrimas; nubila, mœstitiam.

Ad magnanimum ALPHONSVM Secundum eius filium, & quintum Ferrariensium DVCEM.

Nuntius ALPHONSI *cum tristis perculit aures*
Magnanimi Patris morbum: obitúmque ferens;
Me, dixit, Patriæ ad sceptrum; sedésque paternas
Intempestiuo tempore Fata vocant.
Illa opera: illa meo Regi quæ debita, nondum,
Illa omnis nondum præstita cura mihi est.
Solabor Patriam, & Matrem: gemináque Sorores,
Quas desiderium torquet; amórque mei.
Nec monitus temnam pro tempore; quos mihi magnus
Dat Socer; ascendo iam petasatus equos.

Res ego componam; posthàc huc cogito. vestrum
Ciues inuitum ne retinete Ducem.
Non niuium obstabunt montes. celsásque recurrens
Has alpes videor iam superare mihi.
O' præstans Iuuenis. nunc tanto in pondere rerum
Ista isthuc pietas te reuocare potest?
Paruus adhuc taurus virtutis signa futuræ,
Quæ tu fers omni tempore, ferre solet.

Tumulus eiusdem HERCVLIS Ducis.

HERCVLIS hic tumulus complectitur ossa Secundi;
Quem Quartum ESTENSIS gens tulit alta virum
Si iustè expendas huius præstantia facta,
Et populos rexit qua pietate suos;
Hic Tu dignus erat dices hoc nomine, dices
Hic etiam tanto sanguine dignus erat.
Mens igitur multa in cœlum virtute relata,
AEuo perfruitur, perpetuóque bono.

Ad Illustrissimum AVRELIVM Fregosium de pluuia: & ventis coortis vt Florentia Ferrariam discessit DIVA LVCRETIA Medicia.

Vnde Appenninus Tirrhenum vergit ad æquor,
Hi venti perflant; hæ pluuiæque cadunt.
Sed quæ ventorum: & pluuiarum causa? quod ARNVS
Et gemit: & lacrimat nata abeunte Pater.

Quin non hi veri venti, pluuiæue; sed ARNI
Hi uenti, gemitus; hæ pluuiæ, lacrimæ.
Sed facies cœli mutatur; & aureus exit
Aëra per placidum sole nitente dies.
Aduentante etenim iam virgine, & ARNIDE *nympha;*
Sunt soceri hæc nimia ob gaudia versa PADI.
O' virgo, & nympha ò quanta est LVCRETIA; *quæ fert*
ARNO *hanc mœstitiam; lætitiam* ERIDANO?

Ad eundem de eadem DIVA LVCRETIA.

Cum pulchra Hetruscos fines LVCRETIA *liquit*
Læta petens pinguis quæ secat arua PADVS.
Talia tunc ARNVM *fama est dixisse; tulisset*
Cum caput è summo gurgite flauicomum.
Sentio me totum te discedente moueri;
Ambórúmque idem pectora stringit amor.
Inque tui desiderio, lacrimisque relinquis,
Qui collésque meos, planitiémque colunt.
I tamen, i felix prolem paritura, sub axem
Quæ cœli nostrum tollat vtrunque genus.
Iam te expectantes populi, quibus æqua ministrat
Iura tuus coniux, gaudia quanta cient?
Iam læto accipiunt vultu: & complexibus arctis
Te Phaëtontiades; te pater Eridanus.
Hæc simul Arnus ait; Natæ simul oscula libat.
Hæc abit; ille citus fluminis ima petit.

Ad eandem de eadem DIVA LVCRETIA, & diuina ELLEONORA eius matre.

QVOD *tanto coniuncta viro sit filia, secum*
Lætatur tacito pectore magna parens;
Filia lætatur pariter; paritérque cupita
Absentem, vt fas est, optat: amátque virum.
Sed cum deseruit Matrem lepidißima Nata;
Atque abiit; gemit hæc, & gemit illa simul.
Vtraque vim magnam lacrimarum fundit; & arcto
Complexu retinet tum alterutra alterutram.
Sed Natam Mater felicem iußit abire;
Laxata vt voci est clausa dolore via.
Omina quæ accepit tacito LVCRETIA *corde.*
Nam vocem preßit, continuitque dolor.
Sic nulla in terris solida, & sincera voluptas.
Sic varii affectus pectora nostra mouent.

Ad eandem DIVAM LVCRETIAM.

Cum dulcem linquis patriam, sedésque Paternas;
Tum tristi multus Iuppiter imbre cadit.
Et ventis porta est laxata furentibus; oræ
Qui paßim Thuscæ: ac incubuêre mari.
Sed pede vt hos agros tangis; piscosáque stagna;
Omnia tempestas clara repentè tenet.
Hos ne modos Natura dedit? causæque latentes
Hos rerum effectus; hasque tulêre vices?

An tuus abscessus cælum contristat Hetruscum?
Aduentus lætum reddit an Hadriacnm?

Ad Illustrissimam IVLIAM Roboream Atestiam de eiusdem DIVAE LVCRETIAE aduentu in agrum Bononiensem: & Ferrariensem.

Cosmidis abscessu LVCRETIDIS Arnides ipsa
Nymphæ fleuerunt, ARNVS & ipse Pater.
Thusca relicta omnis regio deserta; nec illis
Vrbibus, aut villis amplius vllus honos.
Illius aduentu contrà, quæ pinguia paruus
Arua secat Rhenus, læta videre licet.
Et stagna hæc pulchra: & rura hæc felicia; cernas
Stagna magis pulchra; & rura beata magis.
Facta nouo hoc etiam FERRARIA maior honore,
Plausibus: & lætis vocibus astra ferit.
Immemores faciunt fratris, veterisque doloris
Quod Phaëtontiades; magnus & ERIDANVS.
Tum niueis cycnis: & dulcè canentibus olim,
Candidior color est; voxque canora magis.
Quæ Nympha: aut virgo tecum certauerit? vllam
Progenuêre tibi sæcula nulla parem.
An decus aduentu mortalibus addere rebus
Tantum? ac abscessu demere tu ne potes?

Ad eandem DIVAM LVCRETIAM de illius in vrbem Ferrariam ingressu.

Dum tanto exciperis plausu populique: Patrúmque;
Tot Procerum illustri te comitante choro;
Dum vir præcedit, quem tu gaudere videres
Coniugis aduentu: & morte dolere Patris;
Dum comes it Frater; quo non felicior vllus;
Vestibus: & niueo conspiciendus equo.
Dum magnus sequitur Toletanus Auunculus; vno
Quo nunc se tellus iactat Ibera viro;
Et templum ingrederis cum sol se tingeret vndis
Oceani, vt faceres vota: precésque Deo.
Protinus in gelidam nubem tunc cogitur aër;
Et nix de cælo multa repentè cadit.
Tum nigra nox veniens albis incanuit alis;
Et color his qui aderant omnibus ille fuit.
Cura Deo es certè. tibi quantum candida mens est
Tu veste; hoc miro signa dat ille modo.
Hoc etiam candore dies hæc fausta notatur.
Intactúsque tuæ virginitatis honos.
O' pompam ingentem; & tali quæ vicerit omneis
Vna hominum pompas omine; & vna DEVM.

Ad IOANNEM BAPTISTAM Cynthium
Giraldum de superiori
niue.

Dum læto ALPHONSVS *populorum munera vultu*
Accipit; & festos dum parat ille dies;
Iuppiter hanc subitò multa niue conspuit vrbem.
Ipse quoque ALPHONSO *dat sua dona* DEVS.

Ad

Ad eandem diuinam LVCRETIAM.

Nupta viro es tali, & tanto de Patre creata;
Et tantis animi: & corporis aucta bonis;
Vt te fas non sit mortalem dicere; sumunt
Mortalem vt vocem, membráque sæpè Deæ.
Quod si non Dea tu: tali creduntur at esse
Voce: animo: forma, Iuno: Minerua; Venus.
Conditio vna etenim si sit mortalis adempta;
Tres æquas reliquis partibus vna Deas.
Te ne etiam Diuûm: & Thusci clæmentia cœli,
Tantum incrementum protulit Eridano?

AD ILLVSTRISSIMVM FRANCISCVM MEDICIVM Florentinorum Principem.

IN *conuiuio heri quod apparauit*
Gens CONTRARIA *nobilis, secundis*
In mensis variæ datæ fuerunt
Fictæ ex nectare candido figuræ
Nouo nomine Saccaro vocato.
Has inter posita est pusilla fama.
Quam lectißima quæ supra sedebat
Dedit Femina Principi, Patronum
Quem Florentia amat sibi futurum;
Et Senæ pariter vetustiores.
Cum Princeps ait eruditione
Præstans; Ingenióque verè Hetrusco;

Hoc est perceleri, atque acutiori.
Hanc Famam voluit magister esse;
Sed Fama est mala; nam malè est polita.
Felices populos & vsque & vsque
Hic Princeps quibus imperabit olim;
Ut sunt nuuc etiam imperante Patre;
Vocato Duce, Rege iam vocando.
A Diis nostra regentibus profectò
Fortunatius vrbibus regendis:
Et præstantius euenire posse
Nil existimo Principe; à tenellis
Qui sit vnguiculis benè institutus
Liberalibus artibus; priúsque
Natus hac acie; hocque singulari
Mentis lumine; & vsque perspicaci.
Nam per se sapere & potest: & illi
Nemo os oblinere impudenter audet.

Ad Illustrisimum ALPHONSVM Atestium de nuptiis eiusdem DIAE LVCRETIAE.

ILLO tempore quo fuêre factæ
Nuptiæ celeberrimæ, fuerunt
Imbres continuique: maximique;
Perfurente noto: Africóque semper.
Quæ nam causa fuit? fuisse causam
Hanc: haud non aliam puto; quod ipsa
Propter splendida facta quæ fuêrunt

Cuncta: Regia cuncta; commouebat
Illos inuidia. inde concitarunt
Quos nos vidimus: & quidem molestos,
Imbres continuósque: maximósque
Conspirante Noto, Africóque semper.
Sed quanuis pluuiæ: & fuêre venti
Toto tempore nuptiis iniqui;
Ullo tempore nuptias fuisse
His quis dixerit auspicaciores?



IOANNI ANGELO MEDICIO NVPERRIME MAXImo Pontifici designato.



Paganus Paganinus Licianensis.
S. P. D.



CVM vii. Cal. Septembres Tu Romam interregni Pontificii tempore proficiscens Florentia iter faceres; diuertissesque; vt etiam superiori æstate feceras petens Lucensia balnea, ad COSMVM Medicium Florentinorum: & Senensium Ducem; Illéque postridie eius diei quo tu Florentiam venisti, te discedentem vsque ad portam Diui NICOLAI offitii causa esset comitatus; ego quoque tunc vnus ex illius Maximi Principis familiæ numero eum sequebar. cum igitur in præsenti fueris declaratus Maximus Pōtifex, vt quidem tum diuinabant non pauci, aut potius ferè omnes; Idque heri & nuntiis, qui huc Roma mutatis ad celeritatem equis venerunt; vbi nunc commoror ob quædam negotia quæ ago

cum his clarissimis Principibus : & literis sit cognitum Ferrariæ; ego qui & illum tuum aduentum : & discessum, eamque diuinationem de isto tuo Pontificatu comprehensam animo tenebam, de te feci hoc epigramma hesterna nocte, quod ad te do HIPPOLYTO Turco, qui quidem ad te à Duce hoc Maximo mittitur officii causa. Equidem hoc nomine abs te nunc omnium mortaliũ Maximo, vt antea eras optimus; nollem aut imprudens : aut impudens haberi; sed vterque habear; dum me impudentem: & ineptum existimes factum ex nimia lætitia, quam ex hoc nuncio accepi, cum omnibus iis, quibus & ante acta tua vita : & sanctitas: & prudentia est cognita; quibusq: nostræ Religionis salus: & dignitas est chara. Absens tibi animo pedes osculor, vt animo : & ore oscularer, si isthic adessem; mihique ad te pateret aditus, qui vt existimo, nulli probo viro; & te amanti est occlusus: etiam atque etiam vehementer exoptans; & purè: & piè obsecrans Deum Immortalem; vt qui te ad tantarum rerum gubernationem euocauit; eundem quoque velit diutissimè viuere pro salute Reipublicæ Christianæ: quæ profectò tali rectore: & defensore hoc tempore maximè indigebat.

Vale. Ferrarie iiii Cal. Ian.

1569.

Ad eundem Maximum Pontificem.

Relligio in luctu: & tenebris cum afflicta iaceret
Deque suis rebus: deque salute timens;
Has fudit voces, lecti fecêre supremum
Cum te Rectorem, Pontificémque Patres.
Tot perpessa diu morbos: & vulnera; iam nunc
E' luctu: & tenebris exero sana caput.
Medicius certam medicinam maximus illis
Iam morbis faciet, vulneribúsque meis.
Id præstare quidem poterit; prudentia tanta
In quo etenim tanta cum pietate fuit?
Vestra vnum ò Patres peperit cnnctatio; rebus
Quod faciet pacem; ac ocia longa meis.
Sic Deus ex alto curans Mortalia; tandem
In melius nobis cuncta referre solet.

Ad eundem Maximum Pontificem qui PIVS Quartus est postea appellatus.

Sancte Pater, Pater æternus quem affecit honore,
Quo maior toto nullus in orbe datur;
Quemque omnes credunt tantis virtutibus auctum
Iampridem hoc summum promeruisse decus;
Nunc ego mensus iter longum; paßúsque calores;
Vrit cum paßim Sirius ardor agros;
Et nulli impensæ parcens: nullique labori;
Et tantæ subiens mille pericla viæ;

Nato cum puero sequitur qui Pallados artes,
Quem Dux hoc Pisis tempore COSMVS *alit;*
Perueni Romam; & versans in pectore multa;
Decreui tandem limina adire tua;
Ad te igitur venio supplex; & dicere coràm
Quæ possem, his libuit promere carminibus.
Ocia si facies vt poßim scribere; per te
Si vincam sortem, quæ me inimica premit;
Fortè opus intexam exorsum, labentibus annis
Quod cultum viuet docta per ora virûm.
Pluribus exponet, quod quæro PASCHA, *medendi*
Usum cui totum ceßit Apollo Pater.
Id tu cum facies, ego quod diuino futurum
Et pro doctrina: & pro pietate tua;
Tum debebo tibi tantum; persoluere quantum
Haud potero per te si ipsam animam abiicerem.
Quod præstare tuum est certè; nam Principe tristem
À te tam magno neminem abire decet;
Sic per te, vt cœptum est; iam ferrea desinat ætas;
Et te iam surgant aurea sæcla Duce.
Teque omnes adeant vtroque ab littore gentes;
Et pedibus libent oscula sancta tuis.
Mutatisque sacris, & vanis ritibus, vnum:
Aeternúmque Deum; *Numina trina colant.*
Qua tu laude diu viuúsque: valensque fruaris;
Et posthàc cum tu sidera celsa petes.
Quò patet iis reditus; quorum pulcherrima virtus
Cœtibus humanis attulit auxilium.

Quo te etiam Superûm Rex magnus signat honore,
Quòd generi humano commoda tanta facis.
O' te felicem; cui viuo: cuique soluto
Corpore; tam Diuûm Numina amica fauent.

Ad eundem Maximum Pontificem.

Quædam iugera sunt mihi paterni
Ruris, omnigenas ferentis herbas,
Ac felix olus; atque vbi Minerua:
Et curas hominum leuans Lyæus;
Nec non flaua Ceres olympo ab alto,
Et Pomona suas benigna fudit
Largè diuitias; suámque Phœbus
Dedit crescere lauream virentem,
Vel cum bruma gelu perurit arua.
Omnis denique pulchra: fertilis ue
Arbos, quæ generatur in feraci
Terra, pullulat hic; suósque profert
Suo tempore flosculos; comásue;
Aut fructus varios. rigat perennis
Hæc læta omnia fonte de propinquo
Ductus riuulus; & leui susurro
Labens florea per vireta, lymphis
Purior reliquis: vitróue, somnum
Sylua suadet inire sub comante.
Vna sed tamen expetita cunctis
Felicißima planta desit; illa

Illa

Illa Mespilus, est oborta nuper
Quæ flauum ad Tiberim, aureis celebris
Ramis; aureolos feréns que fœtus.
Quos solus legis ò supreme Pastor.
Et quos accipiunt frequenter abs te
Tripho: & SYLVIVS: & tuus Phaërnus,
Concordes animæ: bonique vates.
Ergò Maxime Pontifex nouella
Ex hac arbore surculum pusillum
Da quæso mihi liberalitate
Pro tua eximia; & benignitate:
Qui soles nihil abnegare cuiquam;
Et qui plurima magna spontè donas.
Hunc tu si dederis: seram paterna
In villa: reliquos vt vna vincat,
Quos lætissima terra iactat agros.
Et quos Hesperidum puellularum
Hortos posteritas canit, fuisse
Verè existimet: atque laude campos
Hos æqua celebret: parique fama.
Huius bracteolæ nitente flore
Flauescet pirus. & mihi quotannis
Quæ feret pretiosa poma, carpens,
In meis studiis: meisque libris:
Musis deditus; ociòque dulci:
À me omni inuidia procul repulsa:
Ac omni ambitione pestilenti:
Quod vitæ reliquum est laboriosæ:

Omni tempore vixero beatus,
Nil omninò aliud petens; voléns ue.

Ad SyLVIVM: & PHAERNVM.

CAESARE *cum magno maior genitore* PHILIPPVS
Tot Maria: & Terras: qui ditione tenet;
Intulerit Turcis bellum lacrimabile, forti
Et spolia abstulerit victor opima manu:
Cumque vrbes Asiæ: & quæ seruit Græcia, tandem
Sustulerint tristi libera colla iugo;
Tum caput incinctus lauro, ducénsque triumphos;
Templis persoluet uota dicata Deûm.
At nos Interea, tu SYLVI, *tuque* PHAERNE,
Tam quibus & Musæ: & dexter Apollo fauet;
At nos interea pro hedera viridante, beata
Ornati crines Mespile fronde tua:
Pontificis summi celebremus carmine laudes;
Et passim populis, quæ ocia magna facit.
In vaticano cliuo decerpta Poetis
Aurea sic mittet Mespila multa suis.
Ut quæ post veniet lustris labentibus ætas;
Nostris cum chartis talia texta leget:
Pontifici tum nos Vates pro laudis amore,
Pontificem nobis Vatibus Inuideat.
Et dicat tacitè quantumuis illa beata;
Quantumuis Vatum clara erit Ingeniis;

Quàm meliora PIO sub Quarto sæcla fuerunt?
Cur non me similem currere Fata Iubent?
Sic diuersa DEVS sortitur tempora nobis;
Sic varias rerum voluit & ille vices.

Ad Illustrissimum CAROLVM BORROMAEVM maximum cardinalem In Aureas Rosas, quas Max. Pont. sacrat: & donat.

Ramus ab AENEA latus fuit aureus, imos
Ad Manes, & cum venit ad ora Patris.
Sed primo auulso tunc se qui sustulit alter
Usque PII ad Quarti tempora delituit.
Nunc Uaticano felici in colle repertus
Aureus aureolas parturit ille rosas.
Pontificis manibus quas lectas, maxima Reges:
Aut Regum vxores munera ferre solent.
Sed nouus hic ramus veteri est felicior; ille
Diis stygiis datus est, hic sacer est Superis.
Non igitur cuncta in peius: retróque feruntur:
Sed meliora suo tempore Fata ferunt.

In easdem.

Ne Colchi aureolum vellus sub sidera: ne ue
Hesperides iam nunc aurea mala ferant;
Multa alia vt finxit sibi tum ventosa Uetustas,
Hæc etiam falsò uera fuisse refert.
Sed Uaticani quos flores parturit arbos
Aureola aureolos sæcla futura canent.

Ficta igitur tandem ne iactet Græcia; vera
Quæ licet, haud certent laudibus Italiæ.

In easdem.

Ne tu oleam sustolle tuam, ne casta Minerua
Laudibus; aut frondes ne Cyparisse tuas;
Hæ plantæ: plantæ assurgunt ad Tibridis vndas
Floribus aureolis quæ aurea tota nitet;
Talem igitur plantam nunc te inuenisse Minerua:
In talem versum te Cyparisse cupis.

In easdem.

Non inter plantas iam nunc, dicatur Apollo
Pace tua; lauro primus habetur honos.
Auricoma vsurpat primum, quæ colle virenti
Fert Vaticano nuper oborta rosas;
Et quas Pontifici fas est decerpere tantùm;
Et quas Principibus mittere dona solet.
Non iam igitur Regum: aut populos vincentis, & vrbes:
Laurea; sed cingent aurea serta comas.

In easdem.

Aurea sub Iano: & Saturno sæcula quondam
In Latio paßim Fama fuisse canit.
Sed meliora PIO sub Principe sæcula currunt;
Sunt magis & nobis Numina amica Deûm.

Hic etiam populos tranquilla in pace gubernat;
Hic etiam nobis ocia summa facit.
Sed non effulsit simili tum virga metallo;
Nec Vaticani talia terra tulit.
Namque rosas solido ex auro, quas colligit vnus
Et PIVS; *& claris donat habere viris;*
Spontè sua, atque hominum non vlli obnoxia curæ,
In Vaticano planta beata parit.
Sic Reges alibi & natos Saturnia tellus
Hos facit; ac omni tempore magna creat.

In easdem.

Vt PIVS *in Latio cepit regnare; vocarunt*
Hunc lecti summum Pontificémque Patres;
Protinus est orbis rerum conuersus; & orta
Saturno quæ pax aurea Rege fuit;
Quin etiam in cliuo Flaui propè Tibridis vndas;
Hic vbi Pontificum tecta superba vides,
In sacro Luco, quem cingunt vndique muri;
Exorta est species arboris auricomæ.
Quæ nullo profert cultu: nullóque labore,
Quas carpit solus; donat & ille rosas.
I nunc & iacta SATVRNI *tempora; sed tum*
Hos vbi dic Flores terra LATINA *tulit.*
O nos felices tali sub Rege, beatum
Illum; quem tanto signat honore DEVS.

Ad GREGORIVM SANTANGELIVM virum Religiosum, & doctissimum.

De te, deque tuis scriptis; venerande Sacerdos
Fortè meum sensum; Iudiciúmque petis.
Id tibi sincero depromam pectore, sanctè
Pro iuncta inter nos nuper amicitia.
Es pius, & docto scribis pia carmine. Vatum
Quis fert hoc nomen: tergeminúmque decus?
Hoc præclarè agitur nobiscum tempore; nosque
Aspectant lætis Numina luminibus.
Et parat in melius reparare labantia sacra;
Cum profert Vatum talia corda DEVS.
Verùm GREGORI, *poterant licet esse relatæ*
Sat causæ, es tu aliis dignus honore mihi.
Imprimis rectè tibi quod commissa gubernas
Tum vigilans, reliquos cum sopor altus habet.
Infanti quondam, prudens Natura futuri
Quod meritò Græcum nomen habere dedit.
O' te clarum hominem, & Fatis felicibus ortum,
Qui benè tot facere: ac dicere tanta potes.

Ad GENIOS pro salute Diuæ LVCRETIAE Mediciæ ægrotantis preces.

Vos GENII, *est quorum sub Numine Lydia Tellus;*
Et dextro cornu quæ PADVS *arua rigat:*
Quin GENII *Italiam sueti defendere, cura*
Afflictæ si vos illius vlla mouet;

Ne sinite vt prima LVCRETIA *dia iuuenta*
Occidat, hoc tantum vos prohibete malum.
Hac pereunte etenim vestrum decus omne periret.
Non esset vestris vrbibus vllus honos.
Hæc etiam magnum Patrem, magnúmque Maritum
Iunxit; & hos iunctos, vnanimésque tenet.
Sed si concessi metas iam contigit æui,
Et iam mors auidas iniicit atra manus;
Hi facite æterno vt maneant in fœdere Reges
Pro re: pro causa totius ITALIAE.
Quæ tali auxilio, quæ defensoribus istis
Sperat ad Imperium posse redire vetus.
Si secus aut Italus, aliquis vel barbarus optat,
Sentiat hic rebus Fata inimica suis.
Me vos audistis GENII: *Regina furenti*
Et febre: & lenta tabe leuata valet.
Vina igitur fundo vobis, ponóque corollas.
Milléque carminibus, Numina vestra cano.

Ad Maximum FRANCISCVM Medicium Florentinorum Principem in eiusdem diæ LVCRETIAE mortem.

ITALIA *infelix questus de pectore rumpe.*
Heu pullas vestes indue; scinde comas.
Et mœstum pectus manibus percussa, doloris
Impatiens, magnis fletibus ora riga.
Illa: illa extincta est LVCRETIA, *viua Deabus*
Quæ fuit haud impar nominibus variis.

Illa nimis celeri LVCRETIA morte periuit,
Qua nitebatur paxque: salúsque tua.
Iunxerat hæc geminos Reges; iunctósque tenebat;
Nil quorum regnis firmius esse potest.
Et quorum auspiciis tibi iam sperare licebat
Antiquam laudem, nomen & omne tuum.
Nunc vires fractæ; & retrò sublapsa feruntur
Omnia; nunc toto corpore fusa iaces.
Iusta igitur soluens illius funeris vmbris,
Inferias etiam solue misella tibi.
Sic: sic iampridem Diuorum auersa voluntas,
Exoriens nobis inuidet omne bonum.
Sic nos iandudum, quod talia multa minantur,
Barbaricus fastus; seruitiúmque manet.
Et certè ITALIAE spes funditus occidit omnis,
Hi duo ni seruent fœdera pacta Duces.
Quæ seruaturos cum tota mente peropto;
Tum me, quem moueant certa, tenere iuuat.
Qui noscam amborum quanta est constantia; quantus
Amborum tangat pectora laudis amor.
Et quantæ est illis libertas publica curæ;
Pro qua non iisdem triste perire foret.
Hoc portendebant damnúmque: malúmque; coortis
Miscentes pluuiis prælia dira Noti;
Cum pulchram linquit Floram, sedésque Paternas;
Coniugis & tali cum omine regna petit.
Cum cecini quod erant ARNI suspiria venti;
Illiúsque illæ quod pluuiæ lacrimæ.

Abscessum

Abscessum charæ qui Natæ ferre nequiret;
Cum tamen hæc gemeret fata propinqua DEVS.
Nec posset leges illorum vertere; duro
Quæ ferro incisæ, aut duro adamante rigent.
Quin etiam pompa solito de more superba
Intrat vbi arx portam Virgo THEALTA *tuam;*
Albis quam serum filis argentea vestis
Intexta ornabat; multáque gemma micans;
Et quam multo auro diues lectica vehebat;
Vix qualem IVNO *credimus esse tuam;*
Cui mille Heroës comites, Germanus & ibat
Et lena; & niueo conspiciendus equo;
Tum Phaëtontiadas veterem renouasse quærelam
Fraterni casus; tum gemuisse ferunt.
Et Pater ERIDANVS *præsagus funeris huius,*
Illo tristitiæ tempore signa dedit;
Vnda cum flueret lutulenta; & murmure mæsto;
Lugubrésque daret littus vtrinque sonos.
Tunc cycni auditi profundere flebile carmen;
Vicinæ in mortis limine quale canunt;
Hoc illis animus tum cum diuinat; adacta
Atque altè penetrat pluma senile caput.
Et visus coruus dexter; cornixque sinistra
Atque queri, atque supra peruolitare Padum.
Insula tollit vbi se se sub mœnia; Magnus
Quod quondam ALPHONSVS *nobile curat opus.*
Cum mens læua hominum non hæc perpenderet olim;
Quod rerum infelix exitus ipse docet.

Non tamen hos luctus, cecidit tum multa repentè
Quæ nix, cum visit maxima templa Deûm;
Posse videbatur nobis prædicere. cuncti
Quin faustum: & felix omen id esse putant.
Et iactant signasse Deos candore niuali
Hunc lætum populo, coniugibúsque diem.
At tantos plausus: & gaudia tanta; perennem
In luctum: & lacrimas versa videre licet.
Sic quæ sæpè tibi fingas felicia, ventos
Iuppiter hæc volueres irrita ferre iubet.
Cum quæ aduersa times, celeri pede cuncta venire;
Et semper soleant vberiore modo.
Vos HEROINAE liquidis regionibus ortæ,
Hetruscos qualeis dixeris esse locos;
Cœnosos horrete lacus; craßásque paludes;
Incola quas tutò vix habitare potest.
Vos moueat Bacchi: & Cereris mutatio; vitæ:
Et victus ratio est tota tenenda prior.
Venatu: aucupio: suetísque laboribus artus
Durandi; perdit quos mala segnities.
Hanc cæli illius grauitas infecit; & inde
Paulatim irrepsit morbus; & illa lues.
Quæ prius à Medicis non intellecta, valentes
Concepit vires viscera tota replens;
Et post firmatis nitens radicibus, vlla
Non potis auelli vique: viáque fuit.
Sic summè cum sana foret, summéque valeret;
Serpenti infelix tabe peresa cadit.

Cum quartum lustrum medium contingeret; æuum
Quæ longum certè viuere digna fuit.
Dum saltem ex illa soboles suscepta fuisset;
Coniugis: & Patris nodus amicitiæ.
Dii voluêre secus curantes omnia certis
Consiliis; multa quæ abdita nocte latent.
Et quæ scire nefas homini, dum simplicis auræ
Partem animum in terris noxia membra grauant.
Sed quid ego accuso tractum: cœlúmque NIVENTI?
Et quæ dicebam; quæque referre piget?
Mutauit tempus morémque: sitúmque PADVSAE.
Illa senes regio facta salubris alit.
Non cibus: aut potus Dominam confecit. iniquæ
Ocia non illam lenta dedêre neci.
Tempora stant nobis moriendi fixa. nec illa
Vel differre tibi, vel celerare licet.
Nam vim Parcarum nulla ratione mouere,
Cum tibi legerunt vltima fila; potes.
Non si te iactes claro de sanguine cretum.
Suppetat & rerum copia larga tibi.
Forma nihil prodest; nil virtus plurima. nanque
Aegri Mortales sumus: & umbra sumus.
His cunctis Regina bonis effulsit. at illa,
Vt flos succisus vomere; rapta perit.
Et cum nos omnes rapiat mors improba; vita
Nostra tamen vario turbine mersa cadit.
Vt folia in syluis furibundus decutit Eurus;
Aestas cum præceps puluerulenta ruit.

Et contristat hiems nimbosis imbribus annum;
Incipit & pigro claudere rura gelu.
Pars etiam quorum de matre auellitur alno
Vere ipso; vel cum Sirius vrit agros.
At tu sancta Anima in sublimi parte recepta
Sidereæ sedis, ducimus vnde genus;
Triste tui desiderium quos torquet; ab isto
Vmbra aliquando leuis vertice vise tuos.
Præcipuè magnum Patrem; magnámque Parentem;
Et Fratres, & quæ sola relicta Soror.
Nescia quæ nullum lacrimis imponere finem;
Crudeleisque DEOS: astráque dira vocat.
Teque gemit complens singultibus æthera, Turtur
Vt Socia amissa turture sola gemit.
Vise virum; qui cum vixisses iuncta beatè;
Si tibi cessissent viuere Fata diu.
Nam nihil in terris est illo suauius vsquam;
Qui Patris mores; Ingeniúmque refert.
Quem fortasse suo; sed iniquo tempore toti
ITALIAE; & rebus Dii rapuêre meis.
Solare afflictum. qui te noctésque: diésque
Nunc flet: Thax ORPHEVS fleuit vt Euridicen.
Hic te etenim, licet armorum studiosus, amabat;
Quantum vllus coniux coniugem amare potest.
Adsis ò felix miseræ, tu cuius alumna
HESPERIAE, hancque tuo numine dextra leua.
Si qua tuo & Letho tempestas imminet; ora
Vertat vt à nobis Rex hominum; atque Deûm.

Sic tua femineam mentem superabat; & annos
Quæ virtus: & quam mors violenta tulit;
Constanti aucta virûm fama se tollat in astra
Littore ab Eoo, littus ad occiduum.
Desinat & nunquam posthàc labentibus annis:
Se Mundus donec vertet vtróque Polo.
Cumque Sorore Dea, similis quam mersit acerbi
Vis lethi, curam: delitiásque Patris:
Cumque tuis reliquis, habitant qui culmen olympi:
Quot puro in cœlo sidera pulchra nitent:
Diuina ambrosia vescare: ac nectare: summum
Perpetuò spectans tu DEA facta Deum.
Explet quæ mentem, quæ res facit vna beatos
Dignatos mensa: concilióque Deûm.
Impedior sæuo ne scribam plura dolore.
Tu verò æternùm magna Patrona vale.
Hosque meos gemitus alto ne despice cœlo;
Viuenti si quid iam tibi gratus eram.
Si superest sensus, hæc quem Mortalia tangant:
Cum linquunt animæ corpora tarda leues.

Ad eundem tumulus eiusdem.

Nomine dicta fui LVCRETIA, flore Iuuentæ
Quam primo Fati vis inimica tulit.
Me genuit COSMVS Toletana è matre, beata
Hetruscos populos qui ditione tenet.

Vxor eram ALPHONSI, *cui nunc Ferraria paret.*
Tu potes hinc per te discere quanta fui.
Hæc quicunque legis, tua te cum Fata vocabunt;
Aequo animo, hæc; nostro funere disce pati.

Ad ANGELVM PAPIVM Iuris consultum celeberrimum, de IMPERIO; & IMPERIA.

Temporibus variis, quæ tu clarissima dicas;
DII duo Romanis dona dedêre duo.
Mars ferus Imperium tot iam labentibus annis,
Imperiam nostro tempore pulchra Venus.
Hoc nihil Imperio maius sol aureus vsquam
Vidit; nil vidit pulchrius Imperia.
Gentibus augusto Imperio veneranda, venusta
Imperia dulcis Romula terra fuit.
Imperii ratio Romanos mouit ad arma;
Et facere Imperiæ bella coegit amor.
Et si conditio mortalis adempta fuisset,
Quæ nos crudelis: nostráque cuncta rapit;
Imperio poterat cœlum exæquare; Deabus
Imperiam poterat dicere Roma parem.
Sed ruit Imperium quondam discordia demens;
Nunc Fati Imperiam vis inimica tulit.
Imperium luxit tantum Romana propago,
Illo quæ populis inuidiosa fuit.
Imperiam gentes vtróque ab littore lugent,
Quas vndis ambit maximus Oceanus.

Hinc Roma Imperio tanto spoliata, videtur
Nunc uulgò reliquis urbibus esse minor.
At terra Imperia dia uiduata, uidetur
Amisisse suum lumen: & omne decus.
Imperii æternum nomen, laudésque manebunt;
Imperiæ pariter fama perennis erit.
Illa etenim gaudens præstantia tollere, semper
Hæc canit; & magna: & pulchra perire uetat.
O' ter mirandum Imperium, nimiúmque beatum;
Qui cum conferre haud imperia ulla potes.
O' ter laudandam Imperiam, nimiúmque beatam;
Conferri qui cum nulla puella potest.
Sic Latium antiqui Imperii, & præsentis honore
Imperiæ; ad cœli sustulit astra caput.

Ad VIATOREM PVERPERRA quæ ROMAE sepulta est in MINERVAE.

Fascia quem gyris circundat lata, supinas
Imposui iunctas cuique supina manus;
Hunc genui infantem; sed partus virgo dolorum
Impatiens: fudi mortuum: & occubui.
Hinc consanguinei voces ad sidera iactant,
Quos tabula è viuo marmore ducta refert.
Me miserans; puerúmque meum: lacrimare Viator.
Sic ò contingant tristia nulla tibi.

Ad eundem eadem.

Laeua marmora si vides ferire
Mæstis sidera vocibus VIATOR:
Et multis lacrimis genas rigare,
Ob Matris: Puerique acerba fata:
Te stringat pietatis, & doloris
Imago similis: nec hinc abito
Siccis luminibus. tuarum iniquam
Sic non sentiat vlla feminarum
LVCINAM *sibi, cum vocabit illam*
Partus in medio dolore; vt ipsa
Sensi, cum misera edidi puellum
Cassum lumine; & occidi repentè.
Iam tu carpe iter antea institutum.

Ad Illustrissimum ALBERICVM Cibium tumulus honestissimæ ISABETAE Roboreæ eius coniugis.

ISABETA *mihi nomen fuit, inclyta quam gens*
Protulit: VRBINVM *quæ ditione tenet.*
Quantum animo fuerim præstanti, & corpore; viua
Quem colui, pudor is me reticere facit.
Nupta fui Herôi, dominum quem MASSA *veretur.*
Ad mare Tirrhenum quæ caput alba leuat.
De me suscepit Natum, prolémque virilem
Coniux, spem nostræ: subsidiúmque domus.
Iniecêre manum Parcæ sub tempus id ipsum,
Qui medius vitæ terminus esse solet.
Hæc qui legisti, iam tu discede: volutans
Corde tuo, tua quod te quoque fata manent.

Ad

Ad clarissimum AENEAM BARDVM tumulus IOANNIS eius Filii.

Me pater AENEAS BARDA *de gente* IOANNEM
Nomen aui Illustris iussit habere viri;
A puero addictus Musis, sub flore Iuuentæ
Arma volutabam, militiámque sequi;
Quæque decent illum, qui sic generatus: & altus;
Se gaudet solo laudis amore rapi;
Designato Equiti de Principis ordine COSMI,
Hetruscos populos qui regit imperio;
Inuidêre mihi cum Numina sæua, malignæ
Et tres neuerunt vltima fila Deæ.
Ne consanguinei, ne me lugete Parentes;
Ah ne tantus edat pectora vestra dolor.
Pace fruor Diuûm stellanti in culmine OLYMPI;
Quam mihi vis morbi rumpere nulla potest.

Ad eundem alius.

Et genere, & forma præstanti; & mente: futuræ
Qui iam virtutis tot documenta dabat;
Hunc pater AENEAS *tumulum de more* IOANNI
Cum lacrimis multis, & gemitu posuit.
Has huius Iuuenis diuini funus acerbum,
Nedum homines; fama est ingemuisse feras.

Ad Nobilissimum NICOLAVM DOREAM de THVSCA, duobus filiis: & marito.



THVSCA duos genuit pueros, cum matre lauatur
Alter; dum tepidam suggerit alter aquam.
Hic cadit in prunas, vitámque reliquit in igne,
Nec tulit accurrens tempore mater opem.
Alteriúsque memor peteret cum balnea; mersum
Hic illum infelix: exanimémque videt.
Casu igitur duplici Natorum exterrita; terram
Ceruice effracta percutit, & moritur.
Ecce superuenit coniux, inque aëre pendet
Impatiens luctus fune premente gulam.
Sic pueri: genitrix: coniux fatale tulerunt
Damnum telluris: ætheris: ignis: aquæ.

AD IVSTINVM ROSCIVM
In morte AVRORAE Romanæ.

Purior Oceani ex vndis Aurora resurgit,
Maiori multò lampade cincta redit.
Quin, non esse mihi Tithoni Aurorā videtur
Coniux; est alius frontis: & oris honos.
Agnosco: Aurora est, quam Tibris Flore Iuuentæ
Extinctam, ac omnis Romula terra gemit.
Pro prima Aurora, hæc Aurora secunda reducit
Per liquidum bigis æthera vecta diem.
Nec sol huic vllum lumen partitur; in orbe
Hoc ipsum lumen fundere visa fuit.
Felicem occasum, qui isthuc te Aurora reuexit;
Luce tua effulgens tantum ubi munus obis?

Ad eundem de eadem.

Sol terras lustrat tam sera lampade? passim
In magno apparent sidera nulla polo?
Nunc media est æstas. sed brumæ tempore numquam
Se se tam lentè sustulit vlla dies;
Iuppiter anne vnà tres noctes iunxit adulter,
Vt quondam Alcmenen Amphitryonis amans?
Sæcula perpetuas an sunt visura tenebras?
Semper erit vulgò talis in orbe color?
Est ita. nam extincta est, quæ lucem Aurora vehebat
Almam; quæ clari præuia solis erat.
Fata inimica hominum rebus, laudique; resarcit,
Quis raptum terris lumen: & omne decus?

Ad ALEXANDRVM Strigium tumulus ALEXANDRI eius patris.

Clarus ALEXANDER *Strigius sagóque, togáque;*
Atque domi: atque foris conditur hoc tumulo.
Huius fama canit, præstantia plurima facta
Non vlla posthàc emoritura die.
Id verò imprimis; TICINI *Marte quod æquo*
Pro re Itala Hispanum vulnere strauit humi.

Ad eundem alius.

Carmine quod cecinit diuino Aeneia Facta
VIRGILIVS, *celebris docta per ora volat.*

Sic quoque ALEXANDRI *Strigii pulcherrima facta*
In pace, in bello fama loquetur anus.
Quin verbis quantò præstant pulcherrima facta;
Nam verbis multò facta minora vides,
Tantò maius erit, dum cœlum ſidera paſcet;
Nomen ALEXANDRI *nomine* VIRGILII.
Sed quis te digna decorabit laude ſequentum
Et Phœbum: & Martem MANTVA *magna parens?*

Ad Illuſtriſsimum GARZIAM Toletanum SICILIAE Proregem: de GARZIA: IOANNE: ELLEONORA: FRANCISCO: COSMOQVE Mediciis Principibus maximis.

GARZIA *cum moritur pulcher, magnúsque* IOANNES,
Optima cumque parens ELLEONORA *perit;*
Tum vere, æſtate: autumno ſpoliatus vt eſſet
Annus, deformis THVSCIA *facta fuit.*
Sed rediit poſtquam Hiſpanis FRANCISCVS *ab oris;*
Huic totum acceſsit, quod fuit ante decus.
Facta eadem obſcura eſt, foret vt ſine ſolis olympus
Lumine, cum ægrotus maxime COSME *iaces;*
At poſtquam, vt primùm, ſanúsque: valénsque relinquis:
Qui tua nunc tenuit languida membra, thorum;
Mutata rerum facie, pulsisque tenebris,
THVSCIA *fit vulgò lucida; qualis erat.*
Hic ſtatus eſt rerum humanarum. namque tenore
Procedit certo, perpetuóque nihil.

Ad LVDOVICVM Fulcum Diui IOANNIS Equitem sacerdotem tumulus ANDREAE patris.

His situs ANDREAS, *genuit quem Felsina, Fulcus;*
Qui prudens iuris : Iustitiæque fuit.
Vir natus magna ad tractanda negocia ; semper
Constanti aut læta : aut tristia mente ferens.
Post auctam variis patriam : sedésque paternas
Nominibus ; longum quæ memorare foret ;
In Superûm sedes : stellantia templa, volauit
Natorum : vxoris: Pontificúmque dolor.
Quos liquit dulci priuatos Patre : Marito :
Patrono ; hoc quem etiam tempore ROMA *gemit.*

Ad Illustrissimum IVLIVM Vitellium : in VITELLIORVM insignia.

Hic ludum, lunam, vitulum: pulchrámque puellam:
Et palmam : & sertum picta videre potes.
Est ludus belli simulacrum ; luna renidet
Noctu ; Diis vitulus victima pura cadit.
Serto Europa Iouis redimiuit cornua Tauri ;
Victori palma : & pulchra corona datur.
Hæc igitur gestant insignia iurè VITELLI
Fulgentes bello : & relligione Deûm.
Virgo quibus tectis vituli sub imagine, binæ
Virtutis geminum donat habere decus.

Ad Illustrissimum VINCENTIVM Vitellium iocosum carmen.

Longus heri sermo est factus, ridentibus ipsis
Nostris Principibus; Nobiliúmque choro;
Bis centum nummos, quos scutos dicimus, ille
Sermo, Te: ac Spinam deposuisse fuit;
Ac talem summam nummorum perdere Spinam,
Ni Floram PISIS octo diebus iter
Ille pedes faciat, dum sol se pandit aperto
Aethere; nec magno est conditus Oceano.
Quò te traxerunt sermones Spina iocosi.
Non ne vides quæ te certa pericla manent?
Intra Sextilem, tam pingui corpore longum
Infelix poteris tu facere illud iter?
Tu quoque Vitelli Procerum dulcissime; noli
Tam lepidum: & suauem quæso necare virum.
Tu ratione tui mitescas Principis, ille
Quæstorem gratum perderet vsque sibi.
At chirothecis esto contentus odoris;
Quos mittat victus; munerére exiguo.
Aurum depositum facilisque: volénsque remitte;
Vincere VINCENTI sit potuisse satis.
Penè nefas magnum est, vitæ discrimine; tali
Hoc si tantus homo tempore tentet iter.
Sic nos Mortales ægros iocularia lætum
In risum; & lethum ducere sæpè solent.

Ad PETRVM Corsum celeberrimum Iureconsultum.

Quas tibi quas potero grates persoluere dignas
O' fortis Cyrnes gloria magna tuæ?
Nam mihi magnificis cœnis: ac ore diserto
Tu reficis corpus, Tu recreas animum.
Nec satis illa tibi; quæ sunt mihi maxima, Tu me
Et largè: & lætè rebus Amice iuuas.
Possum igitur quicquid fluido vel corpore, dio
Aut animo; id totum doque: dicóque tibi.
Id tibi, qui Diuûm es similis, debetur vtrunque;
Si tua lingua, manus; seruat vtrunque mihi.
Est ita. vir verè est, cui mentis acumine claro;
Doctrina: & rerum plurimus vsus adest.

AD IOANNEM BAPTISTAM DETVM.

Larga spontè manu quod tu das munera, non te
Detum; sed Dantem dicere Dete licet.
Aut primam ponens vocalem in sede secundæ,
Atque hanc abiiciens, te voco Dete Datum.
Nam datus è cœlo iuuenis virtutis amicus;
Ingenti dignum nil nisi laude facis.
Sed vetus agnomen retinens, cognomina siue
Ambo, aut alterutrum, quæ noua iurè dedi;
Tu sequere, vt sequeris; famæ immortalis honorem.
Et sic in cœlum tu tibi sterne viam.
Nam benè de genere humano bone Dete merentes,
Fama aucti; & celebres ad supera alta volant.

HERCVLI GONZAGAE amplißimo cardinali.

Paganus Paganinius Licianenſis. S. P. D.



ERI cum Mantuam veniſſem ea propè tantum cauſa, vt eam viderem; diuerti ad ædes illuſtrißimæ CLARAE Corregiæ fe minæ lectißimæ, vbi habitat MICHAEL Vrbanus vir cum literis perpolitus, tum ob ſolers Ingenium: & acre Iuditium maximis negotiis tractandis maximè Idoneus, & mihi non vulgari amicitia cõiunctus. Itaque cum hodie non domo extuliſſemus pedem, quod mutata totius cœli facie ningeret, & plueret, perque moleſtus flaret ventus, ſedebamus à prandio ad Ignem: & variis de rebus colloquebamur, cum etiam (ita vt fit) de te, deque tuis diuinis virtutibus intulimus ſermonem. quæ res fuit cauſa vt Michaeli dixerim, mihi eſſe in optatis: & iam pridem fuiſſe, te viſere: & ſalutare. Sed ſubuereri, ne, ſi id facerem ego tibi planè ignotus, uiderer impudens: et ineptus. Sed cum hanc meam cunctationem, & timorem ille uerbis amicißimis caſtigauiſſet, affirmaßetque omnium Principum noſtri temporis te eſſe humanißimum, hocque meum offitium non aſpernaturum, decreui tandem te adire, tibique (ut in more eſt poſitum) manus deoſculari. uerùm cum mihi ueniret in mentem qui eſſes, & quo loco natus, uolui aliquid ad te afferre, ut quo quo munere teſtarer tibi, quàm tui

eſſem

essem studiosus. cum igitur nonnulla mea scripta fortè mecum attulissem, ex iis delegi quandam meam orationem de optima Republica; quam ab hinc ad decem annos LVCAE habui, dum illic honestissimè commorarer. eam igitur tibi do: & dedico; quam si libenti animo: & læto acceperis: & legeris, vt quidem cum spero, tum opto, mihi erit gratissimum. vale tui collegii decus. Mantuæ iiii Cal. Decembr: M D L X.

Ad Illustrissimum VILIELMVM Gonzagam Maximum Mantuanorum Ducem, in funere HERCVLIS; Patrui amplissimi Cardinalis; & Pontificii legati ad Concilium Tridentinum.

HERCVLIS *vt magni Gonzagæ nuntia fama*
Vulgauit lethum Romana per oppida; perque
Flumine felici quæ Mintius irrigat, arua,
Tanti hominis grauiter turbatæ funere passim
Illæ sunt vrbes. Imprimis Maxima Roma,
Et Manto pinguis non gloria parua Padusæ,
Quem decus omne suum ostentabant; altera, quod cum
Illius ornasset frontémque: capútque galero
Puniceo; se plura tamen retulisse canebat
Pleno ore; & populis id testabatur vbique
Sexcentum enumerans pro se præstantia facta
Semidei claris virtutibus omnibus aucti.
Altera quod cum se tali iactaret alumno;
Non vllis populis, non vllis vrbibus illo
Nomine cedebat, quas sol despectat olympo.

ROMAM igitur fama eſt, & MANTO è pectore tanti
Conſortes damni ad cœlum rupiſſe querelas,
Pectora fœdantes pugnis; atque vnguibus ora;
Ambas flauentes crines per eburnea colla
Fuſas; & pullis indutas veſtibus ambas:
Haſque modis, nec non laniantes turpibus illos:
Cum lacrimæ caderent vtrique ex ore decoræ.
Qualem floriferis in ſaltibus eſſe videmus
Albentem rorem noctu qui decidit; iſque
Sole recens orto in foliis: herbisue reſedit
Cratus adhuc pecori, nec dum correptus ab æſtu:
Et ui ſecreta, in tenueis euanuit auras:
Unde fluit tacitè concretus frigidus aër.
Ille igitur rumor qui detulit omnia, ROMAM
Hos fletus: illos MANTO fudiſſe canebat.

ROMA. Iampridem fatale mihi eſt, vt quos ego magnos
Heroas pario; aut aliis regionibus orti
Huc me qui veniunt habitatum; quique vetuſtum
Imperium; & priſcum nomen mihi reddere poſſent;
Hi pereant omnes vel primo in limine vitæ;
Vel laudum medio in curſu, atque ingentibus orſis,
Fundamenta meæ firmiſsima iacta ſalutis
Optatæ incipiunt cum ſe ſuſtollere; nec dum
Tale opus eſt reliquum conſtructum, quale futurum
Monſtrabat forma excellens; populiſque timorem:
Inuidiámque mouens; mea magna potentia quondam
Quos bello paſsim vicit: iuſtóque ſubactos
Imperio rexit poſthàc: & legibus æquis.

Atque equidem vt sileam, numero comprendere possem
Quot nunquam: taleis lustris labentibus olim
Quos genui; aut tenuêre altas qui Tibridis arces
Orti alibi; sed quos decoraui insignibus: atque
Iis ornamentis: & honoribus omnibus amplis;
Quos dare consueui virtute: & sanguine claris;
Quæ duo coniuncta apparent pulcherrima: quale
Cæruleo à circo cum fuluum clauditur aurum.
Sunt extincta mihi nuper duo lumina magna;
Illud MEDICIA exortum de stirpe, ferace
Pontificum: atque Ducum clarorum; iamque potenteis
Latura Reges, quis Thuscia seruiat omnis
Aeternûm; & quorum auspitiis se tollat in astra.
Hoc verò, peperit quod Tellus illa beata;
Qua tu Rex Lacuum Pater ò Benace, sonanti
Par pelago: fremitúque mari perlaberis amne
Perliquido; largè tandem cum erumpis in arua;
Hic vbi nunc Veneti struxerunt mœnia tanta;
Quantos vix dicas Ossam, vel Pelion ipsum,
Vertice qui cœlum tangunt, & sidera summo.
Huius præsenti multa virtute, senectæ
Tangentis medium spatium; virtute futura
Illiúsque pari; ereptis iuuenilibus annis,
Idque breui spatio, quam laudem: quamque quietem:
Ocia quanta meis spondebam rebus? onustus
Hic: aut ille suo cum tempore clauibus, atque
Sancto habitu: & Pastor populorum dictus, haberet
Ius vtrunque meum in gentes, quæ Numina Diuûm

Vera colunt, non quæ tenui, uenisset ab astris
Cum Deus in Terras nondum; qui Numine vasta
Et Maria: & cœlum: & terras; atque Infera torquet.
Cum Regina fuit Terræque: marisque Togata
Gens mea; cumque fui rerum pulcherrima; cumque
Cum populo Patres conspirauère; meósque
Nondum turbarat demens discordia ciues;
Ipsa mea cum mole rui de culmine; vires
Atque meas in me verti: exitiúmque meorum.
Diluuio anne aliquo semper: veteriue: nouóue
Obruar? an nunquam pelago demersa profundo
Eueniam? in tenebris semper: luctúque iacebo
Vel Pœno miseranda? mihi quem gloria fecit
Infestum; & rerum nomen: luménque mearum.
Atque mihi nullúsue hominum, nullúsque Deorum
Afferet auxilium optatum? aut miserebitur vnquam?
In liquida vel me, & fulgenti luce locabit?
Sunt infesta mihi, quod dixi; Fata Deorum;
Id quod non dubiis possum dignoscere signis;
His quæ temporibus video; vidique vetustis.
En etenim hoc aliud misero est in corpore nuper
Inflictum vulnus. nam Insubria magna virorum:
Magna Parens frugum; Iuuenem, quem miserat ad me
Egregium; atque alto natum de sanguine; magnum
Iamque meum decus; & de quo sperare licebat
Omnia magna, mihi rapuit mors improba; felix
Cum poterat meritò dici; meritóque videri.
Tu FEDERICVS eras; velocis terra Metauri:

Formosæ vxoris causa, te fleuit; & ingens
Eridanus; Latiúmque meum, cum Tibride Thusco.
Atque Arnus, magni senis; augustiquè, dolore
Ipse suum renouans fletum: Luctúmque recentem,
Antiquum vnde genus ducit tua candida Mater
Pontificis soror; Inde orbes, Insigia gentis
Medicia, gerit; & gaudet se stirpe creatum
E tanta; COSMOQVE *fauens; et rebus Hetruscis.*
Tot diras clades; tantas: taleisque ruinas,
Venturi grauiores desperatio reddit.
Quod nisi qui rerum potitur, PIVS, *ille sacerdos*
Maximus, atque idem decoratus nomine Regis
De more antiquo; meritis ne laudibus illum
De fraudem ingrata; & depromam vt condita mente
Alta quæ teneo; iam oculis præpandere Romæ
Lucem cepisset; se libertatis amantem
Ostendens Italæ, *& Romani nominis acrem*
Tutorem, & pro me se velle capessere bellum;
Si sit opus minitans hac causa effundere posse
Vitam, & quicquid habet regni, rerúmque mearum;
I*am me præcipitem* Tarpeia *ex arce dedissem;*
Aut de ponte aliquo flaui sub Tibridis *vndas,*
Et tali tantos finissem morte dolores,
Seruitii studiosa iugum à ceruice superba
Excutere, opprobrii impatiens: & prodiga vitæ.
Nec frenum accipere, ast aliis imponere sueta.

MANTO. *Si genere est quisquam qui se vel iactet auito,*
Vel largis opibus, vel rerum diuite cornu;

Siue clientelis, magnis vel honoribus, ille
Ingenti numero uirtutum ornatus: & illis
Nominibus, multisque aliis præstantibus, atra
Iura trium sperat conuertere posse Sororum,
Seque rapi è letho, quàm falsò speret, & illud
Is credat, præsens funus docet HERCVLIS, illis
Rebus abundabat qui cunctis: HERCVLIS, illo
Quo Gonzaga domus non tempore protulit vllum
Corporis: aut animi meliorem nomine, sueta
Illa viros parere Illustres: quot maxima Tellus
Vere nouo effundit flores per amœna vireta,
Vel quot collucent in puro sidera cœlo:
Aut certè quot nulla parit generosa Propago
Sub luna terris citima, terrisque propinqua,
Horum vt non aliud quæ nos vaga dicimus astra.
Heu spes incertas hominum, subiectáque cuncta
Luctibus insanis. Mortales ite, caducis
In rebus vobis aliquid præsumite certi.
Ah suum ad arbitrium vt perturbant omnia morsque:
Et fortuna potens. Heros ò Maxime: Patrum
Concilio in magno sanctorum, quosque salutis
Cura premit uehemens communis, Fama Tridenti
Te modo ferre pias leges, & iura canebat
Orbem per totum, sub quo Germania magna
Porrigitur, diróque fremens nunc Gallia bello,
Perque Italos populos, & quos Hispania nutrit,
Viuit adhuc quæ peste nihil contacta, secundum
Diuos quod CAROLO debet, debetque PHILIPPO:

Quæ pestis diris furiis agitata, vetusta
Nunc sacra conatur, ritúsque abolere probatos,
Nec non tanto hominum consensu: vsuque receptos.
Mors tibi perpetuo nunc clausit lumina somno?
Nunc extincte iaces? talis te pompa reducit
In patriam? quæ alios spe plena parabat honores
Pro virtute tua tibi ponere: pulchra trophæa;
Atque triumphales arcus; non signa doloris,
Et nigras vestes; & feraleis cyparissos,
Thura adolens: vrénsque tibi funalia mille.
Non te expectabat talem Regina Parente
Cæsare de magno sata, cui Pannonia paret:
Gentem auctura tuam regali prole, superbæ
Cui per se, magnum nunc attulit incrementum:
Magnanimo Fratris Nato coniuncta Hymenæis.
Nec Manto vates quæ me fundauit; & vnde
Sum sortita vetus nomen, cum multa moneret
Diuersis posthàc ventura ætatibus; haud hos;
Haud mihi predixit luctus; nec funera tanta.
Sed cecinit fore, nec tempus monstrabat; & huius
Vlla mihi non signa dabat, de gente creatus
Cum vir Gonzaga, dictus de more Sacerdos
Maximus, insignisque toga, insignisque corona
Tergemina, regeret gentes in pace; potentis:
Atque DEI *vnius, quæ sanctum Numen adorant:*
Et Latio laudem antiquam qui redderet omnem.
Id felix rebar tempus venisse; putabam
Fatidico huncque virum signari à Numine Diuæ;

Id sectans, iam cuncta tenes Gonzaga sacerdos
Omne ferens punctum, quod quondam penè tulisti.
Fortè vnum: aut ambos portendit Regia Manto,
Purpura quos ornat similis, Gonzaga propago
Quos eadem genuit, iuuenes virtutibus, atque
Moribus insignes diuinis, Inclyta quorum
Spes mihi præsentem luctum delinit acerbum,
Quem capio in tanto rerum discrimine magni
Ex letho Patrui, cum tempestatibus atris
Nauigium PETRI nunc huc, nunc fluctuat illuc,
Insanis iamiam mergendum fluctibus, atque
Ad scopulos allidendum, adque immania saxa,
Ni DEVS antiqui promißi haud immemor, ipse
Et clauum regat, ac immitat leniter auras
A puppi flantes, quæ condant illud ab alto
Turbato in portum tranquillum, sæpè quod ante
Est factum, & fiet posthàc voluentibus annis,
Dum Patrem: Natúmque DEVM venerabimur, atque
Quem Pater: & Natus conspirant, qui tamen omnes
Sunt vnus DEVS, est rerum cui summa potestas.
Hoc præsens Lethum renouat mihi vulnera, quondam
Quæ FERDINANDI Fratris de funere sensi,
Iustitiæ insignis: bellique laboribus, ille
Qui fuit Augusto CAROLO gratißimus acri
Iuditio magnis in rebus, cuique regendum
Imperii tantum pondus: molémque reliquit.
Vos verò Thuscis Musis: Musisque Latinis
Addicti: sacri ò Vates, quos ille fouebat

Magnis

Magnis muneribus; miróque colebat honore
Multiplici excultus doctrina; & lumine clarus
Ingenii, interitum vestris lugete camœnis
HERCVLIS, atque illum vestris intexite chartis;
Viuat ope vt vestra; nullo periturus in æuo
Ipse tamen per se; si virtus vindicat, atque
Eximit à letho magnos Heroas. & astris
Inserit; Illorum celebrans noménque: decúsque;
Et reddens iisdem famæ immortalis honorem.
Talia dum ROMA: & MANTO: & fortaßis eodem
Tempore, deflebant; tum Nymphæ Tibrides; atque
Mintiades, mœstis implebant questubus auras.
Illud cum faceret Tiberisque, & Mintius: omneis
Quos imitabantur Genii, sub Numine quorum
Est Latium; atque colit quos felix MANTVA campos.
Quin etiam cycni cantu mulcere canoro
Eridani ripas consueti; flebile carmen
Fundunt; quos reliquæ volucres imitantur; & omnes
Gutture luctisono dantes, lugubria; vulgò
Omneis contristant vallésque: lacusque propinquos.
Tumque resultabat lacrimosæ vocis imago,
Atque hominum elati pulsabant sidera fletus.
Cum gemerent omnes; nec posses cernere quemquam;
Qui multum mœstus lacrimis non ora rigaret;
Atque astra: atque Deûm incusans crudelia fata;
Fata pilis ludunt quæ nobis improba; nosque
Perpetuis curis; & diris casibus actos:
Aut primo: aut medio: aut extremo tempore vi tæ

Quæ rapiunt; vllo mitescere nescia pacto;
Ut rerum inuertant seriem: rumpantq́ cathenam,
Quæ chalibe infracto; duróue adamante rigescit;
Quam circi faciunt nexi per mutua; tangit
Quæque imos manes producta è vertice cœli;
Proscindens medias terras, atque æquora ponti;
Cuncta humana trahens secum: diuinaq́ cuncta:
Et connexa tenens eadem Plutonia regna:
Omnipotens Hera præteriti: & præsentis; & omnis
Quicquid erit; nulloque modo: aut mutabilis æuo;
Præfixus cunctis; atque altè terminus hærens.

Ad ILLVSTRISSIMVM FEDERICVM GONZAGAM amplissimum Cardinalem tumulus eiusdem HERCVLIS patrui.

Hoc marmor tenet, HERCVLIS; *propago*
Quem Gonzaga tulit, relicta membra
À diuina anima: quibus soluta
Ad puri reuolauit astra olympi.
Uerùm hæc terrea membra derelinquens,
Nomen tale reliquit, atque famam
De se; maxima dignitas quod illa:
Illa ab omnibus expetita tantum;
Quæ cœli hostia, claudit: atque pandit,
Illius meritis minórque: & impar
Habebatur; erátque; si æstimemus
Illius merita æquiore mente.
Per te coniice qualis: atque quantus

Ille vir fuerit ò VIATOR. *hancque*
Iacturam lacrimare inusitatam,
Quam Res publica CHRISTIANA *fecit*
Cœlesti hoc homine interempto, iniquo
Rerum hoc tempore: tamque turbulento.

AD LEONARDVM BONAROTVM IN FVNERE MICHAELIS ANGELI BONAROTI XL Epithaphia; & inscriptio soluta oratione.

PRIMVM.

Esse suum dium BONAROTVM *Tibris: & Arnus*
Certabant cupidi laudis vterque suæ.
Hunc alui longùm dicebat TIBRIS; *at* ARNVS,
Illud quid tandem est, hunc ego si genui?
An sit diuinus Bonarotus Tibris, an Arni,
Lis sub Natura iudice pendet adhuc.
Id constat; quòd eum morientem Tibris: & Arnus
Fleuerunt tacti corda dolore pari;
Quod decuit, quando Bonarotus, Tibris: & Arni,
Peniculo: & cœlo nomen in astra tulit.

II.

Marmora MEDICII *rudia, ac perfecta Sacelli*
Ingemuisse ferunt, cum Bonarotus obit.
Illaq; dixerunt; quæ nos sic cœpta per annos
Venturos poterit docta polire manus?

Hæc autem, quondam nos mortua marmora: viua
Nunc hæc debemus membra: animámque tibi.
Est pote tantum hominum ingeniumq́; manusq́, per illa
Accipiant viuam vt mortua saxa animam?

III.

Cum Bonarote peris, flauos sculptura Poësi
Cum muta crines demetit orba tibi.
Et dicit, moritur Sculptoribus: atque Poetis
His qui etiam priscis abstulit omne decus.

IIII.

Tam pulchè pingens, sculpens, partesq́; domorum
Formans in vita dum Bonarote manes:
Horum qui pingunt, sculpunt: formantq́; domorum
Partes: tum vulgò gloria magna fuit.
Cum verò moriens corpus: terrasq́; relinquis,
Horum tum pariter concidit omne decus.

V.

Vt super iniecti lauerunt æquoris vndæ
Summa iuga, atque feras; quæ iuga summa tenent:
Femineum reparasse genus, reparasse virile
PIRRAM: & consortem DEVCALIONA ferunt.
Hactenus id tenui falsum, fictumq́; fuisse:
Mentiri vt Vates talia sæpè solent.
Nunc verò id teneo verum: certumq́; fuisse;
Illud marmoribus cum Bonarote facis.
Sed tum diluuium fuerat; nunc publica nondum
Flamma fuit, terras: & maria alta vorans.

VI.

Cum ROMA *allatum est Bonaroti exangue cadauer,*
Tum gemitum ex alto pectore FLORA *dedit.*
Et dixit : rerum ò Fili charissime; talem
Hæc te post tanto tempore pompa refert?
Res tamen vna leuat talem: tantúmque dolorem :
A te aucta eduxi quod super astra caput.
Nam tot pictorum: & sculptorum: ædésque profanas
Formantum : aut sacras, Græcia magna parens;
Per te victa, mihi primos concedit honores:
Et nunc pallescens inuidet illa mihi.

VII.

Has voces Natura dedit, Bonarotus vt auras
Liquit vitales ad supera alta volans :
Tanto pictore : & tanto sculptore perempto :
A quo res discam fingere : & exprimere?

VIII.

Hæc quisquis spectas, ne fors deludat imago
Te falsi : hæc libuit te monuisse mihi.
Quæ tabulis pinxit Bonarotus corpora ; vel quæ
Marmoribus sculpsit, non ea viua tene.
Viua quidem apparent ; sed sunt ea mortua ; quippè
Ars humana animas fingere nulla potest.
IVPPITER *his animas addat : tum facta negabis*
Vlla à Natura corpora pulchra magis.

IX.

Raptum ignem si aliquis superûm de sede PROMETHEVS
Inspiret tabulis ; marmoribúsque tuis ;

Non dicet tabulis; non dicet marmora; verùm
Vera hominum dicet corpora; vera Deûm.
Ac tam vera quidem; rerum Natura creatrix
Hæc commixta suis, credat vt esse sua.

X.

Orbis cum totus concordi nomine, vastus
Quem salsis vndis circuit OCEANVS;
Commendat statuas: tabulas: formásque domorum:
Atque orbem: solus quæ omnia mira facis;
Ac te Naturam matrem; rerúmque magistram
Aequasse his rebus; vel superasse canit:
Hoc ægrè Natura ferens tum dixit; at illum,
Qui sic laudatur: protuli ego artificem.
Ingeniúmque: manusque dedi; docuique sagaci
Arte sequi, solers quæ omnia vera fero.
Sic ne igitur referens Naturam, excellis, vt ipse
Ipsi Naturæ moueris inuidiam?

XI.

Fessa foret senio cum iam Natura, daretq;
Cunctarum rerum corpora pulchra minus:
Te Bonarote dedit de cœlo Iuppiter: arte
Sarcire vt posses talia damna tua.
Hinc rerum simulacra facis tam vera: vetusta
Vt Natura nouo prima det artifici.
Sic cedit rerum nouitate extrusa vetustas.
Sic res sunt omnes maxima cura IOVI.

Non vlla est tellus quæ se tot iactet alumnis:
Ac tantis: veluti LYDIA, cum LATIO.
Utraque enim innumeros potis est ostendere claros:
Quod summum est: acie mentis: & Ingenii.
Par igitur Bonarote fuit, cum mentis acumen
Tam præstans dederint Diique: Deæq; tibi:
Noueris vt Naturam imitari: aut vincere pingens:
Sculpens: aut formaus omnia, quæ ipsa parit:
Te pulchræ nasci FLORAE intra mœnia: teque
Tam longùm ROMAE viuere: & occidere.

XIII.

Qui dixit cunctas per terras: perque profundum
Cœlum: per tractus æquoris ire DEVM:
Diuinaq; anima informare animalia cuncta:
Mens illi solers: ingeniúmque fuit.
Hoc in te egregiè apparet Bonarote: figuras
Qui viuas: viuis persimilésue facis.
Quod non est hominis moribundi, aut simplicis, ipso
Quem vitio terræ noxia membra grauant.
O' felicem hominem, de cœlo Iuppiter alto
Cui tantum mentis cessit habere suæ.

XIIII.

Si quo PIRGOTELES sculpsit, quo pinxit, APELLES
Tempore, quo struxit DINOCRATESQVE domos:
Ignorans: videas Bonaroti mente: manúque
Et sculpta: & picta: & templa nouata Deûm:
Dices: PIRGOTELES sculpsit: depinxit APELLES:
DINOCRATES struxit singula visa mihi.

Aut potius dices non rerum nescius; illos
Unus vicisti tres Bonarote viros.
O' nostra ingeniis felicia sæcla: fouere
Hæc si aliquis pulchri captus amore velit.

XV.

Paruus erat mundus Bonarotus, dicimur omnes
Ut nos: quot passim dædala terra parit.
Attamen hic paruus mundus fabricauit in orbe
Magno orbem; quo nil pulchrius esse potest.
Et quem, donec erit: magnum quem dicimus orbem;
Laudibus in cœlum sæcula cuncta ferent.
Sic diuina homines facimus: diuinitus vti
Quando parte data, pectora nostra volunt.

XVI.

Mercurium, et Martem: et Bacchum: Phœbumq;: Iouemq;
Et reliquos: longum quos memorare foret;
Quod iuuisse homines fama est, dum vita manebat:
Illos fecerunt sæcla vetusta DEOS;
Tu qui iuuisti Mortales mente: manúque:
Et delectasti plurima mira ferens:
Non dignus fueris, quem nos referamus in astra?
Et cui cedamus nomen habere Dei?

XVII.

Pinxerunt multi egregiè: aut sculpsêre: domósue
Formarunt: veterum si monumenta legas:
Nemo autem egregiè pinxit: sculpsitq;: domosq;
Construxit solus: quæ Bonarote facis.

Si

Si multos igitur laudant quæ singula, lucent
Illa tria in te vno tam benè: & egregiè;
Quis te non cœlo diuinis laudibus æquet?
Aut potius quis te non putet esse DEUM?

XVIII.

Si benè quis pingit, vel sculpit; vel struit ædes;
Hic volitat celebris magna per ora virûm;
Orna igitur triplici Bonarotum laude Viator,
Hæc tria qui solus præstitit egregiè.
Seruantisq; huius stellantis limen olympi,
Exopta TELLVS *vt leuis ossa tegat.*

XIX.

Non facit inferias Bonaroto muta Poësis,
Nons ars formandi templa: domósque nouas.
Non deflet vita cassum sculptura, sepultas
Hæc simul has artes marmora dura tegunt.

XX.

Pictor eram in vita: & sculptor: structórque domorum;
Peniculus: cœlum: normaq; sculpta docent.
Sed qualis pictor: sculptórque: Faberq; domorum;
Tot monstrant tabulæ; signaq;: totque domus;
Quas pinxi: ac sculpsi: & struxi; dum vita manebat,
Peniculo: cœlóque: archetypisq; nouis.

XXI.

Hoc marmor gremio Bonaroti amplectitur ossa,
Nanque omnes natos mors truculenta rapit.
Sed quos hic viuos duxit de marmore vultus;
Quas pinxit tabulas; quas posuitq; domos;

Laudem homini æternam: & nomen peperêre; quod auctũ
Una voce hominum littus vtrunque tenet.

XXII.

PYTAGORAS Samius dicebat, membra caduca
Linquentes animas membra subire noua.
Fecisti vt cuncti Mortales esse putarent
Id verum, in vita dum Bonarote manes.
Credebant etenim ingressas tua corpora mentes
Extincti Zeusis : Dinocratis : Phidiæ.
Id fuerit falsum, hoc verum; par laude quod vnus
Es triplici, Zeusi : Dinocrati: Phidiæ.

XXIII.

Tres animas Herilo tribuit Feronia mater,
VIRGILII vt vatis musa beata canit.
FLORA tibi totidem tribuit Dea maxima; quippè
Es tu habitus Zeusis : Dinocrates : Phidias.
Mors fuit illorum triplex; semel occidis ipse,
Mors dispar, sed par fama vocanda tua est.
Namque tribus nomen tribuit quod sera vetustas;
Hoc vni hæc ætas dat Bonarote tibi.

XXIIII.

Quæ rerum Natura parens producit in auras;
Peniculo: & cælo nouit hic exprimere.
Ac tam diuinè; vt depicta : aut sculpta videntis
Naturæ: & victæ, tinxerit ora pudor.

XXV.

Hic sita Natura est Bonaroti indnta fluentes
Artus : in terris dum Bonarotus erat.

Pende opera à viuo Bonaroto facta Viator;
Illum Naturam deinde fuisse nega.

XXVI.

Te tali moriente viro Bonarote, relicta est
LYDIA, cum LATIO in perpetuis tenebris.
Fallor: cum LATIO splendescet LYDIA semper,
Cum LATIO orbe nouo LYDIA adaucta tuo.
Hoc fore sed dico, huic aliquis cum lampada Solis
Imperfecto orbi figet; & astra tuo.
Cui sic imperfecto orbi, perfectus hic orbis
Cum Sole: ac astris inuidet ipse suis.

XXVII.

Orbem alium statuens effingere IVPPITER, atque
Signis: & tabulis hunc decorare suis;
Horum operum egregium artificem, egregiumq́ magistrum
Diuûm in concilium te Bonarote vocat.
In quorum medio cum formam ostendis & orbis;
Et signa: & tabulas fingere qua arte potes;
IVPPITER: & reliqui Diui obstupuêre; fatentes
Orbi orbem antiquum cedere posse nouo.
FLORA igitur quæ te genuit, seruátque sepultum;
Te viuo potuit tam ne corere diu?

XXVIII.

Quod Mortale fuit Bonaroti; quodque caducum;
Hæc: quæ tu spectas; marmora dura tegunt.
Verùm anima æternùm Bonaroti, & fama supersunt.
Vna volat terris; altera at astra tenet.

Corporis ignaui tantum contagia; tantum
Ingenium solers: & benefacta valent.
Sed vos ò nimium felicia marmora; terræ:
Astra: incremento talis adaucta viri.

XXIX.

Nomen erat uiuo Bonarotus; cætera de me
Me pudor ingenuus commemorare vetat.
Si tamen is finit hoc dicam; dicamq; pudenter;
Quod verùm posthàc secula cuncta canent.
Perficiet quis cœpta mihi? perfecta; quis vnquam
Aequabit cœlo: peniculo: Archetypis?
Parcite Mortales de se speciosa locuto;
Nos etiam extinctos gloria pulchra mouet.
Sic vos fila legent cum vobis vltima PARCAE,
Hæ capiant sedes; Elysiúmque nemus.

XXX.

Extinctus dicam, quanuis ea vera; vetaret
Me viuo de me quæ memorare pudor.
Et scripsi: & pinxi: & sculpsi: feciq; domorum
Formas egregiè, dum mihi vita fuit.
Quattuor hæc igitur per me reuocata sub auras
Altis è tenebris; artéque adaucta mea;
Me celebrem tollunt; & tollent omne per æuum
Littore ab Eoo littus ad occiduum.

XXXI.

Peniculo duplici; & cœlo: normaq; Deorum
Quæ struere aut templa: aut tecta profana docet;

Qui valuit, tumulo Bonarotus languida membra
Hoc posuit; cœlum, venerat unde; petens.
Sed quantum valuit, duplici cum pingeret arte;
Sculperet aut saxa: aut construeret varia;
Scripta Stilo gemino: aut Sculpta: aut constructa; per orbem
Præclaram facient; perpetuamq; fidem.

XXXII.

Artibus effulsit Bonarotus quattuor: ergò
Unus, non unus: quattuor unus erat.

XXXIII.

Si geminus vates: sculptor: structórque fuisti
Aedilis: quales sæcula nulla ferunt:
Non unum Bonarote virum te dico, quaterna
Est tu dicendus quattuor arte viri.

XXXIIII.

Ne vos extinctum Bonarotum dicite, quanuis
Hæc ossa illius frigida saxa tegant.
Viuit enim in tabulis: in signis; inque domorum
Formis; quæ finxit more: modoq; nouo;
Nanque hæc, Gorgonei ut vultus: utque ora, stupore
Miro spectantum mentem: oculósque replent.
Sic: sic à morte ingenium nos vindicat; alto
De cœlo quæ pars ignea tota venit.

XXXV.

A te peniculo: & cœlo mors impia vidit
Subduci ut rerum millia multa sibi;
Hisque dari æternam vitam; indignata licere
Hoc homini in terris, te Bonarote necat;

Quid dixi? erraui. nam inuita morte perennis
In tabulis viues; marmoribúsque tuis.
Sic mortalis homo immortali mente triumphans
De morte, extinctus vel superesse potest.

XXXVI.

Quæ fieri video rerum miracula? sumit
Hoc saxum, vt NIOBES, *mollia membra viri?*
Est ita; magni etenim Bonaroti exangue cadauer
Induit hanc formam Rege Iubente Deûm.
Nam DEVS *artificem tali decorare sepulcro*
Dilectum voluit; parque referre pari.
A quo sæpè fuit factus de marmore viuus
Ac ipse; ac reliqui, qui supera alta tenent.
Gratia sic tangit Cœlestes. Sicque secundò
Humanis crescunt marmora corporibus.

XXXVII.

Ut fluidum liquit corpus Bonarotus, & orbes
Ad superos venit; ducimus vnde genus.
Agnosco, dixit: mecum quas mente retentas
Effinxi tabulas; signáque: & Archetypos.
Hæc sunt quæ pinxi: & sculpsi; dum uita manebat,
Corpora siue hominum: corpora siue Deûm.
Qui nitet hic etiam pulcherrimus orbis olympi;
Est quem miratur maxima ROMA *meum;*
Nil igitur mirum est, pictor: sculptórque: faberq́;
Tectorum mirus si Bonarotus erat.
Ac tantum mirus, vera vt cœlestia cedant
Terrenis fictis arte ter hac gemina.

XXXVIII.

Hunc mihi non nasum finxit Natura, fatebor
Ingenuè; pugno est simus, & inuidia.
Si fuit opprobrium cædi nil tale merentem;
Opprobrium hoc æqua mente: animóque tuli.
Inuidiam verò sum vltus virtute; potenti
Vi cuius volito magna per ora virûm.
Et nunc extinctus cœli in regione serena,
Diuûm concilio: colloquioq; fruor.

XXXIX.

Hanc molem, exornant hæc quam funalia, totq;
Picturæ: & statuæ, ac cætera, quæ ipse uides;
FLORA *boni posuit Bonaroti manibus; omnis*
cui largè lacrimans splendida iusta facit.
Talis honor nullis contingit ciuibus; vnis
Vix tantum magnis Regibus ille datur.
Ast decus est multò maius Bonarote, parasti
Quod cœlo; & norma; peniculóque tibi.
Hæc ingens pompa, est vnius pompa diei;
Vincere id immensum sæcula sera potest.
Donec enim rerum hic stabit pulcherrimus ordo,
Tu celebris viues laude ter egregia.
Sic nos extinctos, inuita morte; beatum
Ingenium; & multus dat superesse labor.

XL

Quam pede nitentem dextro pila lignea fulta
Piramide à quadra tecta sub alta leuat;

Unde oritur Titan: & quò se condit in vndas,
Fama ego iampridem te Bonarote cano;
Atque canam æternùm; quanuis mea buccina: & ora
Non poßint laudes æquiperare tuas.
Sic Florentini vestrum protendite nomen;
Sic mortem: ac tempus vincite, & inuidiam.

D. O. M.

HVNC *tam splendidũ feralem apparatum, Statuariorum; Pictorũ: & Architectorũ Florẽtinorũ grata societas,* MICHAELI ANGELO *Bonaroto; Statuariorum; Pictorum: & Architectorum quot sunt, quot fuerunt; & quot fortaßis erunt facilè Principi: honoris, & virtutis causa, Dedicauit. Hæc autem omnia curata auspice, atque autore Maximo* COSMO *Medicio miro ingeniorum fautore, & quasi Deo.*

In noctem marmoream eiusdem MICHAELIS ANG. *Bon.*

Aeterna è nocte, ac somno; de marmore ducta
Hæc nox quæ dormit, vindicat artificem.

In eiusdem Victoriam itidem marmoream.

Hæc hostem perfecta rudem Victoria calcans,
Signorum veterum comprimit omne decus.

Ad

AD OTHONEM TRVCHSIVM Germanum Optimum Cardinalem in iustis Diui FERDINANDI CAES. AVG.

Regibus antiquis, & nostri temporis; hic Rex
Par belli studiis: par pietate fuit.
Par quoque Cæsaribus Cæsar fuit omnibus; vno
Excepto tantùm Cæsare Fratre minor;
Cæsaribus longè qui præstitit omnibus; atque
Cognita cui tellus non satis vna fuit.
Dii terram ostendere aliam; vt præstantibus ausis
Illius: & factis præmia digna darent.
Huic verò debet PANNONIA *magna salutem,*
Ne pace: ac bello cætera gesta canam.
Tanti igitur Regis: & tanti Cæsaris huius
Splendorem; toto qui aureus orbe nitet;
Hæc, quæ persoluit mœrens hoc funere Princeps
Florentinorum; splendida iusta decent.

Ad Maximum MAXIMILIANVM declaratum Cæs. Aug.

Auctum est imperium vt Romanum Cæsare digno
Cæsare seu patruo: Cæsare siue patre;
Nunc mihi, nunc dixit, possum sperare vetustum
Restitui nomen, restituique decus.
Dictus enim est Cæsar bello clarissimus Heros;
Atque idem sanctæ Relligionis amans.

Quæ duo me quondam fama vexêre sub astra
Terrarum dominum, & totius Oceani.

Ad Illustrissimum MARCVM ANTONIVM Columnam in morte VIDONIS ASCANII Sfortiæ amplissimi cardinalis; & maioris Quæstoris.

Has flauus Tiberis rupit de pectore voces,
ASCANIO iniecit cum mala Parca manus.
Occidit heu sacri qui regni tempore; quique
Sacri interregni gloria magna fuit.
Hoc etenim: aut illo, hic dignatus nomine magni
Quæstoris; fulgens purpureóque habitu;
Omnia curabat rectè, quæ bellicus vsus;
Quæ placidæ pacis tempora læta petunt.
Præsidii quantum: decorisq; Insubria quantum
Perdidit infelix; vltimáque Hesperia?
Tu Parma es testis, tu testis Felsina, quantus
Iustitiæ fuit, & Relligionis honos.
Vos sacri Vates, quàm Musis deditus; illas
Nominis æterni captus amore colens.
Res hæc vna meum lenitq; leuátq; dolorem,
Quem capio tanti ex Semidei interitu;
Is quod viuit adhuc, & viuet clarus in orbe
Nominibus dictis, nominibúsque aliis.
Sæcula quæ norunt sexcentum nostra, canuntq;
Quæ noscent; & quæ sæcula sera canent.
Qui Vaticani sublimia tecta frequentant;
Auribus hauserunt talia dicta Dei.

Quæ responsabant colles, circundedit vno
Quos septem muro Maxima ROMA sibi.

Ad ANGELVM Nicolinum Senensium Præsidem, & Pisanorum Præsulem.

Est in te virtus, in te prudentia summa;
Qua rectè: ac iustè, te: populósque regis.
Nil igitur mirum est, tantum virtutis amanti
COSMO: & prudenti si ANGELE die places;
Si te hic diuitiis; si te auget honoribus; ac te
Si FLORA: & SENAE; totus & Orbis amat;
Si te Pontifices mirantur; debita iamque
Si caput exornat purpura pulchra tuum.
Si vox vna hominum te dignnm dicit honore;
Qui superas claudit; qui reseratq; fores.
Vos Florentini, & Senenses discite; tuque
Orbis: quem surgens sol videt, atque cadens;
Tantæ virtuti quanta est sapientia iuncta,
Quæ nobis tanta: & talia ferre potest.

Ad optimum, & doctissimum BALEARIVM Episcopum.

Ad studia incensum Iuuenem, præclara futuræ
Doctrinæ in vulgus qui documenta dedit;
Quod spontè inflammas non paruo munere; cuncti
Te ciues triplici laude sub astra ferunt.

Virtuti satis, & patriæ fecisse; Patrique:
Qui tibi respondet largè in amore canunt.
Egregium factum, nostri non temporis; auri
Quod specie captum gloria nulla mouet.
Illud te decuit, pulchræ virtutis alumnus
Omnia qui solidæ laudis amore facis.
O' diuinum hominem. nam rerum diuite cornu
Rectè uti; atque homines scire iuuare; tuum est.

Ad Illustrissimum CHIAPINVM Vitellium Cætonæ dominum cum declaratus est Eques Religionis Diui STEPHANI.

Strictus vt est ensis datus; & calcaria; mane
Cum de more Deûm templa minister adit;
Purpureo: & niueo vt vestitu ornatus ad aras
Astitit hic; & DIIS fudit, & ille preces;
Esto dixit Eques VITELLI COSMVS; & vnà
Huic de more humerum percutit ense leui.
Tum pulchræ ingenti perculsum laudis amore
Factum Equitem lacrimas vix tenuisse ferunt.
Verùm suspiciens cœlum; mox ora Magistri
Magni Equitum; tenui talia voce dedit.
Sponde cuncta tibi de me, pietatis amantem
Quæ præstare virum: militiæque decet;
Hæc te spes vllo non fallet tempore; namque
Pro DIIS: & pro te dulce perire foret.
Præclaram ò vocem, & dignam ductore; vetustos
Qui claros Atauos mente: manúque refert.

Hoc verò cœtúque Equitum: magnóque Magistro,
Quis classes timeat, Barbaricásque manus?
Perge igitur quod COSME *facis: cœliq; sub axem*
Hoc etiam pacto tu tibi sterne viam.
Et pace in media, tua quam prudentia nobis
Optatam peperit; bella futura caue.
Magnaq; tu nullum faciendi tempus omitte,
Quæ laudem ingentem: perpetuamq; ferunt.
His patet in cœlum reditus, qui publica curant
Commoda; quod magnum, maxime COSME *tuum est.*

Ad Meos libros Arninum diluuium passos In ædibus PACCIIS.

Sic vos diluuium furens, & ARNVS
Assurgens super alueum marinis
Vndis: & fremitu propinqua cuncta
Dum latè ruit, attrahitq; secum
Et delubra Deûm: & domos profanas,
Sic vos sic habuit malè, ò mearum
Rerum relliquiæ mei libelli?
Iam vos amplius haud mei libelli,
Sed tantùm folia, oblitæq; limo
Chartæ: ac continuæ: & malæ lituræ.
Non sunt hæ facies, nec hi colores
Vestri candiduli: elegantuliq;,
Qui vobis prius esse consuerunt.
Vos volumina tam polita quondam,

Nunc volumina sordidata tantum,
Iam vos iam nequeo videre: nunquam
Vos versabo manu, legámue posthac.
Iamiam vos igitur valete; in ignem
Iam vos proiicio: videte iam vos,
Qui tantum benè nuper enatastis,
Quo pacto valeatis hanc secundam
Pestem euadere; & hoc nouum periclum.
Iam volumina spurca iam valete.
Iam vos proiicio rapacem in ignem.
Verùm parcite vos mihi; dolenter,
Et flens id facio: elegantiores,
Omni munditiéque puriores
(Nostis) sum solitus libros habere;
Iam vos accipiunt; vorántque flammæ:
Tempestas quibus æstuosa quondam
Tirrheni maris, atque Piscien sis
Tumultus rabies atrox pepercit.
At tu pessime fluminum Arne tanta
Qui nunc tot populis mala intulisti,
Totus fons tuus areat, fluantq;
In te flumina nulla; riuulique
Nulli. & perpetuo virentum honore
Herbarum omnium; & arborum carentem,
Omnes Diique Dææq; te relinquant;
Atque omnes homines, tuis in vndis
Sueti viuere; vel tuos recessus;
Et ripas habitare flexuosas:

Ad COSMVM Medicium Florentinorum: & Senensium fœlicissimum Ducem.

In pelago, & fluuiis dum tu piscare; moræque
Stas patiens longæ saxea vt effigies;
Nec dextram: cannámue moues; nec lumina flectis;
Ni cum opportunum tempus adesse vides;
Tu pisces captas. nam præda semper onustus
Piscatu: venatu: aucupióque redis.
Verùm cum pisces captas, quos decipit hamus;
Quem filo innexum lucida pluma tegit;
Aut quos esca auidos varia sub imagine ludit;
Aut quos in siccum rætia densa trahunt,
Tum recreans corpus, versas in pectore, quonam
Regnum conserues, amplificesque modo.
Hinc tibi Iustitia tanta, commissa gubernas;
Adiicis hinc fines finibus Imperii.
Hinc omnem Inuidiam superas virtute: Tetrarcæ
Hinc te admirantur. Pontificesque colunt.
Res verò magnas cum tractas, vincis in illo
Tum te ipsum; ac Reges sol quot in orbe videt.
Qui Reges de te discunt, quibus artibus omni
Aut belli: aut pacis tempore regna regant.
Sunt AEterna quibus, nec non Mortalia curæ,
Sic aliquid Diuûm Numina semper agunt.
Qualis es: & quantus, quem tanta negocia, quemque
Tam celebrem reddunt ocia honesta Ducem?

Ad IOANNEM Contium de Leucide.

Sol qui Lucifero curru perlaberis orbem,
Et quot pontus habet, terráque: & astra vides,
Tuque errans totum per cœlum argentea Luna
Cum splendes Fratris menstrua luce noua;
In ponto: in terra: aut cœli in regione videtis
Vos ne aliquid pulchrum, vt Leucis amata mea est?
Quando igitur nihil est formosum, vt candida LEVCIS:
In ponto: in terra: aut in regione poli,
Cur non firmatis cursus? & lumina vestra
Figentes solam Leucida conspicitis?
Firma mihi ò Phœbe: & Phœbe *si uestra darentur*
Lumina, tunc solam Leucida conspicerem.
Sic oculis semper contemplans Leucida, semper
Implerem mentem Nectare: & Ambrosia.
Nam nihil est aliud potusq; : cibusq; Deorum:
Quàm pulchro intenta mente: oculisque frui.

Ad clarissimum FRANCISCVM Bellencinum.

Cum sol scandit equis fumantibus ardua, nec dum
Stelliferi medium contigit axis iter,
In sublime uocat, suadétque ascendere cuncta,
Quæ nutrit Tellus: Oceanusq; parit.
Sed cum declinat liquidas mersurus in undas
Ardentes radios: auricomúmque caput:
Hæc eadem in Solem uergunt decliuia: uique
Occulta è celso sole cadente ruunt.
Hinc Natura hominum Naturæ exempla secuta,
Mane petit montes, vespere quærit aquas.

AD ILLVSTRISSIMVM IVLIVM MEDICIVM CLASSIS RELIGIONIS Diui Stephani Præfectum, de Valle Umbrosa Elegi.

Secessus patet ad Boream, septemq; Triones;
Nam mons curuatus cætera clausa tenet,
Est arcus qualis, capita vt coiisse videntur,
Cum neruo adducto missa sagitta volat;
Aut Fratris radiis obnoxia Luna pererrat
Cum propè coniunctis cornibus ima Poli;
Hæc nisi trita nimis, nec sat referentia rectè;
His quæ collatis vera relata volo.
Ille quidem haud facilis conscensu; milléque FLORA
Qui passus octo distat ab vrbe decem.
Arnum inter, Seuámque situs, duo flumina nota;
Quæ Seuæ ad pontem mixta fluenta vides.
Hanc Vallem Vmbrosam veteres dixêre, reflexo
Quod dixi; huic horrens imminet vmbra loco.
Inuia Titani quam semper fagina; cumque
Iligna querna; & sylua abiegna facit,
In qua pascuntur numerosa armenta, gregesq;,
Cum iam vere nouo bruma remisit iners.
His quæ etiam apricis errant in montibus; alba
Cum spargit boreas hæc iuga summa niue.
Castanea hic etiam se lætam subiicit arbos,
Et cerasi; & mali; & vitis IACCHE *tua:*
Atque piri; & biferæ ficus; eduraq; prunus:
Plantáque, quam nobis Persica terra dedit.

Atque salix hominum pedibus tum commoda, findunt
Illam si cunei: falxq́, faberq́ dolant.
Et fragiles coryli, rasis hastilibus hirci
Hostis quæ Bacchi viscera nuda ferunt.
Insiliens vtres cum rustica turba per vnctos
In triuiis: soluit mystica sacra Deo.
Hic crebri fontes, quorum te murmure suaui
Ad potum: ad somnum vitrea lympha vocat.
Diis posita in medio iacet immortalibus ædes:
Atque domus: quã habitat Diis quoque sacra cohors.
A quibus auertit morbos: bellúmque: famemq́:
Et quæ Mortales talia multa ferunt.
Cuius tu quondam Princeps: Autórque fuisti
IANE ALBERTE, poli qui aurea tecta colis;
Diuo cui facto commissa est Lydia: rerum
Cui tu difficili tempore dexter ades.
Hic me vtinam socium sanctus comitatus haberet,
Iampridem indignè quem mala tanta premunt:
Coniugis ante diem qui vidi funus amatæ:
Et quem natorum maxima cura coquit.
Tantáq́ cui bellum, quod sensit Thuscia nuper:
Abstulit: atque Arni proxima colluuies.
HERCVLIS Estensis quem mors afflixit: ademptum
Quem gemitu æterno prosequar: & lacrimis.
Hic gaudenti animo degissem inglorius æuum
Inque meis libris: inque meis studiis.
Et magnus contemptor opum, contemptor honorum:
Quæ duo quò lubeat pectora nostra trahunt;

Solùm affectassem cœlestia, cætera ridens
Omnia: quæ tantum ignobile vulgus amat.
Et mihi Diis veris mentem præstantibus: omni
Digna ego scripsissem à posteritate coli.
Sacræ Diis ædi: & domui: quæ diximus: & quæ
Si videas ornes laudibus innumeris.
Præcipuè turrim: quæ forma structa quadrata,
Aërias nubes vertice firma ferit.
Et quam laudauit summè: summeq; probauit
Structuram admirans: artificúmque manus:
Magnus ALEXANDER: quando huc diuertit: & idem
Inde CASENTINI saxea summa petit.
Magnus ALEXANDER: cecidit qui fraude propinqui
Sanguine: qui tantas res habuitq; prior.
Nunc etiam extinctum quem deflet Hetruria vulgò,
Clarorum columen: præsidiumq; virûm.
Optime quem IVLI patrem: & præstantibus ausis:
Atque refers acie mentis: & ingenii.
Omnibus his inquam, muris: & sæpibus horti
Conclusi: & iuncti: & mollia prata virent.
In quibus & Satyri visi: Fauniq; bicornes
Commixti Dryadum: Naiadúmque choro:
Cumque aliis, habitant hæc quæ ardua saxa, Deabus:
Et cum virginibus casta Diana suis,
Ducere vel choreas, uel sidera uoce ferire:
PAN DEVS Arcadiæ te faciente modos.
His quam non raró permutas montibns. hucque
Caprigenum ducis, lanigerúmque pecus.

His ſuper incumbit rupes prærupta; cacumen
Oſtentat cuius culta vireta tibi.
Atque caſam: affixum ſaxis quam dicere nidum
Tu potes; eſt Ithace qualis Homere tua.
Hanc colit aſpectu horrendus, facieque Sacerdos:
Qui fruitur cœtu; colloquióque Deûm.
Et vitam degit Diuis cœleſtibus æquam;
In terris tantum Relligionis amans:
Ambitione procul, tetráque libidine pulſa;
Semotus felix turpibus à vitiis.
Hanc ego, non Regum magnorum ſceptra, nec aurum,
Sanguine nec fuſo parta trophæa Ducum;
Nec quæ Pontifices geſtant diademata, gemmis:
Quæque auro, veluti ſidera pulchra micant;
Hanc ego iucundam, hanc omni de parte beatam
Inuideo vitam Diis vir amice tibi.
Perpetuò hic aer liquidus, ſempérque ſalubris;
In celſis qualis montibus eſſe ſolet.
Atque hic culta ſeges tardis flaueſcit ariſtis;
Et quæ, pauca licet; grandia farra parit.
Hic variæ volucres variis concentibus implent
Aëra: & hic Echo garrula cuncta refert.
Et reuoluta cauos per montes vocis imago;
Aures maiori verberat icta ſono.
Denique non aliud, quanta eſt Hetruria tota;
Aeſtiuum eſt vſquam pulchrius hoſpitium.
Nunc ſol cum findit ſitientia feruidus arua;
Aeſtas cum ſcopulos puluerulenta coquit;

Hæc animi: & pariter recreandi corporis ergò
MEDICIVS COSMVS frigida rura colit.
Qualia sunt Tempe, quæ tellus Thessala iactat
Flumine, & arboribus: gramineóque solo.
Nominibusque aliis non ulli incognita Tempe
Voluenti libros, scriptáque docta virûm.
Et nunc ad puras scatebras spatiatur aquarum;
Nunc captat pisces; aucupióque vacat.
Nunc eques ingenti dominum comitante caterua,
Sæuas exagitat per nemora alta feras.
Aut illa innata posita grauitate serenans
Ad tempus frontem, & triste supercilium;
Has longas luces mollitque, leuátque; recenset
Dum doctè veterum maxima facta virûm.
Atque noua antiquis confert; externa Latinis;
Turpia abhorrenda, & pulchra imitanda docens.
Aut causas quærit rerum, exponitque latentes;
Nix vnde: & pluuia, & fulgura missa ruant.
Vnde tremor terris; quid ventos excitat; vnde
Tam sera hibernis noctibus hora cadit.
Vnde fit argentum; ac aurum: marmórque: virentum
Et vim plantarum; & nomina vera refert.
Et quibus informes præceptis téque, tuósque;
Atque quibus populis legibus imperites;
Si regnans longè: & latè, terráque: mariq;
Vis regni fines amplificare tui.
Et regere optata populos in pace, diuq;
Subiectos iusta quos ditione tenes.

Quo dicente stupent Proceres, qui talia sensa
  Omnes intento pectore, & aure bibunt.
Quoque animus Nati varios formatur ad vsus;
  Diuini iam nunc gloria magna chori;
Tanto è diluuio quem seruauêre Deorum
  Numina; quod Fratres obruit horribile,
Et Matrem; vt teneat decreto tempore Fatis;
  Quæ tenuit Decimus maxima sceptra LEO.
Quo regnante fuit ætas Saturnia; vulgò
  Cum res felices orbis, & vrbis erant.
Vos igitur Nymphæ, & Genii montana tenentes
  Hæc loca, nunc quæ adii non mihi visa prius;
Non mihi visa prius, verùm notissima fama;
  Quæ nunquam in tenebris pulchra latere sinit;
Vos seruate Ducem, incedat quocunque: quod vltrò
  Huius facturos pro pietate reor.
Atque animo: & membris recreatum reddite; magni
  Cum magnus veniet Natus ad ora patris;
Cum studia, & mores gentis narrabit Iberæ;
  Et referet lapso hoc tempore gesta sibi.
Et res confectas dicet cum Rege PHILLIPPO,
  Quo sol nil melius: candidiúsque videt.
Exemplo cuius melior, per se optimus ante;
  Ingenti explebit lætitia populos.
Hunc expectarunt qui longùm; ac templa Deorum
  Pro quo magnorum non adiêre semel.
Votáque fecerunt, Herois maxima tanti
  In reditu templis persoluènda Deûm.

Congressu primo, nam tristia m[illegible]rrent;
Hoc quæ euenerunt tempore multa nimis;
Amplexu primo, stringet qui affectus; vtérque
Cumque premet vocem; cum lacrimásque dabit.
Ad quod me tempus conseruo hic viuere iussus
À DVCE, *te donec* FLORA *beata petat.*
Quod faciam, expectans iampridem pectore toto
Quæ fieri exopto; quæque propinqua velim.
Et forti, aut lætam sortem: tristémue paratus;
Quod feci longo tempore, mente pati.
Quam sortem, vt mentem, mihi si confingere possem;
Res meliore meæ conditione forent.
Mens tamen interea nullius conscia culpæ
Me consolatur: vitáque ducta probè.
Quod satis est homini cupienti viuere lætè;
Si desint etiam cætera cuncta tibi.
Pulchra etenim virtus se se contenta; valénsque
Vi propria, atque opibus; nil aliunde petit.
Qua si quàm vellem non sum tam instructus; amore
Hanc tamen ingenti, perpetuóque sequor.
Et sequar, vt feci à teneris: dum spiritus artus
Hos reget: & Diuûm munere luce fruar.
Iam verò VALLIS *Vmbrosa remitte valentem*
Cum Nata: & Natis: Proceribúsque DVCEM.
Quem sibi FLORA *petit reddi, quem Pogia rura;*
Alpes iam turdus linquit aprica petens.
Sic tu frondescas nemorum pulcherrima uere;
Sic urant frondes frigora tarda tuas.

AVTOR[illegible] RESSOR; ET Librarius [illegible]ctori. S. P. DD.

OPtime lector, cum hoc in libello, qui quidem maiuſculus eſt: quàm ſit initiò exiſtimatum, nulla ſint vitiata ſenſa, neque vlla deſint: vel ſuperſint verba; quaſdam literas, quoſdam accentus, & quædam puncta aut perperam: aut non ſatis diligenter poſita, & omiſſa, ſuperſedimus conſultò inani: aut certè non multum (quantum ſumus arbitrati) neceſſario labore commoſtrandi; cum ſint ea (vt credimus) nullius ferè momenti; nec eius generis: quæ vobis magnã interlegendũ ſint allatura moleſtiam. Si verò toto in opere aliquid eſt, quod falſa ſpecie, nedum re vera, noſtrã vel tantillum offendat Religionem: Id omne indictum eſto. pluris enim multò facimus, quod omnium maximè eſt faciundum: noſtram pietatem; quàm omnem Latinitatis rationem, aut omnes antiquæ Poëſis leges. Noluimus vos harum rerum eſſe neſcios. Valete, ac æquis animis fauete huic noſtræ quaſi tumultuariæ editioni, plura propediem expectantes: ſi vos hæc non improbabitis.



ME MEA, TE TVA.

K